# STUDIA DEMOSTHENICA.

Oratores graeci etsi iam pridem suos habuerunt et admiratores et existimatores, qui divina illa eloquentia adeo capti erant, ut „et nocturna et diurna versarent manu eorum exemplaria“, tamen hoc demum saeculo quantum ad totius antiquitatis indolem cognoscendam ingeniumque perspiciendum valeant ab hominibus doctis plane est intellectum. neque id mirum, siquidem philosophis illis qui similia similibus intellegi voluerunt, videtur adsentiendum esse. cum enim praeter illud eloquentiae genus, quod modicis cancellis circumscriptum ad res sacras divinasque pertinet, nullum apud populos recentiores floreret necdum vis oratoria in eo caussarum genere versaretur quod deliberativum a rhetoribus dictum est: fieri sane non potuit, ut quid eloquentia antiqua sibi voluerit quantique momenti ad vitam publicam et privatam fuerit, intellegeretur penitusque mente perciperetur. immo obversabatur ea hominum doctorum animis tamquam imago quaedam adumbrata, quae etsi vitae speciem prae se ferebat, tamen suco et sanguine indigebat. hanc quidem imaginem intuebantur sicut homines illi platonici, qui in specu subterraneo inclusi vinculis tam firmis adstringuntur, ut cum capita non movere neque in ullam partem nisi in rectum prospicere possint, vasorum statuarum signorum quae praeterferuntur umbras lumine retro fulgente natas solum conspiciant neque praeter has umbras quicquam verum esse arbitrentur. ita illi veram germanamque eloquentiam quamvis studiose sectarentur, conprehendere tamen et mente conplecti nequiverunt. at omnia aliter se habent nostra aetate. etenim ex quo ipsi a rebus publicis alieni esse desiimus iurique dicundo et legibus ferendis alacri animo intenti esse atque usu et consuetudine orationum inbui coepimus, magis magisque oratorum veterum scripta intellegere et interiore cognitione percipere didicimus. revixit profecto eloquentiae antiquae cognitio. iam ipse Demosthenes, ipse Aeschines, ipse Lycurgus coram nobis agere et apud nos dicere videntur. qua tristitia aut quo gaudio illi cives adficiebant,



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

eodem nos quoque adficiunt. quo furore et odio in adversarios invehebantur, eodem nos abripiunt. quem illi vituperaverunt aut laudibus extulerunt, eundem nos quoque laude aut reprehensione prosequimur. atque ita quidem omnia cogitatione nobis effingimus, ut paene ipsum Athenarum forum, coronam fluctuantem, oratorem ex suggestu concionantem videamus, audiamus verba honeste aut inpie prolata, vulgi clamores, murmura in aërem abeuntia. iam perspicere nobis videmur sensa cogitataque et eorum qui civibus quid e re publica esset probissime suaserunt, et eorum qui patriae salute neglecta quo modo suo commodo optime consulerent cogitaverunt. sic prodeunt ante oculos nostros Athenienses, qua oratorum temporibus fuerunt et virtute atque animi magnitudine et inbecillitate ac perversitate voluntatis.

Ita vero cum ager satis cultus esset, iam spes erat fore ut segetes laete efflorescerent. et effloruerunt quodam modo. quamquam studia in oratoribus posita nondum tam late propagata sunt quam alia litterarum graecarum genera tractari videmus. sed quae disciplinae ad eos adcuratius cognoscendos meliusque intellegendos viam muniant, eae omnes ita excultae sunt, ut si opus adgrediaris satis instructus sis. atque omnium primus FAWolfius, ut in aliis litterarum generibus novas vias aperuit, sic ad Demosthenem interpretandum antiquitatum quas vocant disciplinam adsciscendam esse intellexit. sed huic disciplinae vita atque vigor tum sane nondum conciliabantur. postquam autem Augustus Boeckhius in libris eximiis quos de oeconomia publica Atheniensium conposuit, redituum publicorum rationes ita explicavit, ut quasi reviviscerent nobis, mox multi homines docti ab his principiis profecti ad instituta Atheniensium enucleanda explanandaque doctrinam suam contulerunt. atque alii quidem res quae ad administrationem rei publicae aut ad magistratus pertinent, adcuratius indagaverunt, alii de senatu et de comitiis doctissime disseruerunt, alii lites et publicas et privatas pertractaverunt, alii denique quid Athenienses de civitate senserint aut in quas ipsi tribus divisi fuerint exscrutati sunt. quid persequor singula? satis erit dixisse, omnes antiquitatum partes exploratas esse. porro de ipsis rebus quas Athenienses gesserunt cognoscendis enarrandisque alii praeclare meruerunt. ut de uno Demosthene loquar, quod Westermannus Winiewskius Böhneckius incohaverunt opus perfecit quasi Arnoldus Schäferus egregio libro illo qui Demosthenes und seine zeit inscribitur. quid dicam de opera quam homines docti in oratorum textu constituendo conlocaverunt? quocunque oculos verteris, quasi apum laboriosarum adsiduitatem reperies, utque illae ex alveario provolant frequentes, sic ab Immanuelis Bekkeri editione oratorum (1823) magnus editionum numerus videtur profectus esse. Demosthenis autem, ut de eo singillatim dicam, orationes singulari fortuna factum est ut prope integrae servatae sint in codice illo Parisino, cuius apud omnes qui his litteris student, magnae laudes magnaque auctoritas feruntur. quae cum ita sint, tribus potissimum nominibus oratorum graecorum atque in primis Demosthenis cognitioni atque explicationi consultum esse adparet, sive rem criticam, sive antiquitatum disciplinam, sive rerum gestarum memoriam spectas. sed restat adhuc ut orationes veteres ita

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

examinentur ut eas cum arte conpositas atque venustatis elegantiaeque exemplaria esse intellegatur. in quo quamquam iam rhetores graeci et latini nonnullique etiam scholiastae occupati fuerunt, tamen nostra demum aetate docta explicatio initium cepisse mihi videtur. hoc non ita intellectum velim ut interpretes et editores ab sensu pulchri ac decori prorsus alienos fuisse putem. sed disertis verbis hoc modo orationes se metiri nemo quod sciam ante Leonardum Spengelium professus est, qui et in musei Rhenani volumine XVI p. 556 Demosthenis de falsa legatione orationem lege rhetorica disposuit et in actis academiae bavaricae 1862, quantum arte oratoria princeps ille oratorum adsecutus sit in oratione ctesiphontea praeclare demonstravit. idem cum l. l. de argumentis ab Demosthene prolatis iudicaret, quamquam vehementer fallaciae arguit oratorem sententiasque quibus a pueris inbibimur crudelissime pervertit, ut paene paeniteat legisse dissertationem, tamen maxima ex parte verum invenisse mihi videtur. nuper tandem ut haec via orationum perpendendarum facilius iniri posset, Ricardus Volkmannus prospexit, qui rhetorum praecepta ad artem redegit in libro Hermagoras inscripto (Sedini a. 1865). — Mihi nunc in animo est, nonnulla eorum quae in Demosthenis lectione adnotavi atque collegi, hominum doctorum iudicio proponere. quorum siqua probentur satis superque habebo. pertinent vero haec studia ad orationem timocrateam diiudicandam et ad aliquot lectiones quas emendare me posse confido.

## I.

Oratio timocratea in eis caussis publicis numeratur quas Demosthenes non suo nomine habuit sed aliis aut scripsit aut patronus suscepit. sunt antem eae quattuor: androtionea, leptinea, timocratea, aristocratea. sed antequam ad eam adgredior, res de quibus agitur enarrari oportet.

Acta est caussa timocratea apud iudices, ut Dionysius (ad Ammaeum I 4) testatur, Thudemo archonte a. Ol. 106, 4, cuius anni cum sex prioribus mensibus rem in iudicium venire vix potuisse ASchaeferus I p. 350 recte censeat, ad anni a. Chr. 352 initium reicimur. Demosthenes ipse, si Schaeferi rationes valde probabiles (addit. p. 38) sequaris, tum annum agebat tricesimum alterum. necdum magna apud cives auctoritate florebat. quamquam enim in litibus amicis non defuerat frequenterque caussas privatas egerat, tamen ad rem publicam vixdum accesserat. habuerat quidem in contione (eiusdem olympiadis anno tertio) orationem illam de symmoriis quae non sine adsensu a civibus excepta erat, et fortasse etiam oratione megalopolitana quid de Megalopolitis auxilium orantibus sibi videretur exposuerat. praeterea in duabus caussis publicis singularem praebuerat industriam et Aristophontem, qui summo cum detrimento Atheniensium rem publicam tum moderabatur, si non nomine, at certe re vehementer reprehenderat. cum enim in Androtionem inveheretur eiusque curam redituum publicorum augendorum vituperatione esse dignissimam clamaret et Leptinis rogationem quae item ad reditus augendos spectabat, ut ineptissimam et iniustissimam



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

perstringeret, re vera haec dicta ad Aristophontem pertinebant, cuius consiliis civitas tum in omnibus rebus ita utebatur, ut eius solius arbitrio omnia geri viderentur. sed quamvis multa in reditibus publicis prave instituta esse multumque ab eis qui huic curae studerent peccari ostendisset, tamen eo non pervenerat ut aut tolleret potentes illos homines aut saltem ad ruinam propius adveheret. immo postquam Aristophon paullo post sociorum bellum infeliciter finitum in vitae privatae requietem recessit, ut ultimos summae senectutis annos in tranquillitate degeret, Eubulus, adsecla eius, summae rerum praeesse coepit et per tria lustra gubernacula tractans in tanta pericula tantasque procellas rem publicam adduxit ut ne Demosthenes quidem eiusque amici naufragium ab ea potuerint avertere.

Ut multis orationum suarum locis Demosthenes virorum memoriam servavit qui rei publicae saluti suas rationes anteposuerunt neque nominis integritatem intactam reliquerunt, sic etiam in oratione timocratea morum corruptorum avaritiaeque foedissimae imaginem depingit tristissimam. sed ut omnia intellegantur, altius res repetendae erunt. anno a. Chr. 355 (ol. 106, 1) sociorum bellum conpositum et insulis quae sub Atheniensium imperio fuerant, liberum rei publicae regundae arbitrium ab Atheniensibus concessum est. sed defectionem suam Chius Cos Rhodus insulae perpetuis vexationibus et offensionibus luebant et aliquamdiu Atheniensium dominationem Maussoli, Cariae dynastae, permutavisse videbantur imperio. is enim imperii augendi studiosus nobiles illarum insularum, cum potestatem popularem tollerent et rem publicam in paucorum ius atque ditionem verterent, adiuvit quidem, tum vero loca munitiora illis non tradidit sed praesidiis suis tenebat. qua de re ut quererentur, Athenienses ad Maussolum miserunt legatos Melanopum, Glauceten, Androtionem, qui homines quamquam saepius se integros incorruptosque non praebebant, tamen quia adsentando blandiendo mulcendo populi gratiam aucupabantur, ad legationes subeundas aliaque magni momenti munera administranda saepe electi sunt. illi quid a Maussolo impetraverint, non refert commemorare. sed in itinere in navem mercatoriam naucratica merce onustam inciderunt et belli iure, ut sibi ipsi persuadebant, eam ceperunt. mercatores quorum navis erat et merx, Athenas profecti ut sibi illa redderentur precario petiverunt, Naucratitis cum rege Persarum quidem, non cum Atheniensibus bellum esse praedicantes. rem ita se habere abnuitur, et sive gavisi quod in aerarium pecuniae aliquid rediturum sit, sive invidia Aegyptiorum moti, Athenienses legitime illa exceptâ esse disertis verbis diiudicant. — Jam vero ex legibus Atheniensium praeda illa quae talentis novem minis triginta (c. 14250 thaler) aestimata est, in aerarium publicum referri debebat. at tantum afuit ut nobiles illi triumviri hanc legem sequerentur ut eam neglegerent. melius enim arbitrabantur pecuniam sibi conservare. et per temporis spatium haud ita parvum videbatur res latere. pecuniae ne ulla quidem mentio diu est iniecta. tum vero forte fortuna factum est, ut eius civis aliquis abominabilis reminisceretur qui possessionem iandiu tutam creditam Androtioni nequissime invideret! et quod multo tristius triumviris accidit, ipse Aristophon, cuius partes sequebantur, invitus quidem, ipse tamen auctoritate sua effecit ut

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

pecuniae istius civibus rursus in mentem veniret. aerario enim cum pecunia deesset, succurrendum esse Aristophon censuit: rogationem tulit ut eligerentur qui perquirerent, pecuniam sive sacram sive profanam quis deberet aerario; quicunque aliquod nomen nosset, id illis deferre iussus est. (§ 11. ψήφισμα εἶπεν ἐν ὑμῖν Ἀριστοφῶν ἑλέσθαι ζητητάς, εἰ δέ τις οἶδέ τινα ἢ τῶν ἱερῶν ἢ τῶν ὁσίων χρημάτων ἔχοντά τι τῆς πόλεως, μηνύειν πρὸς τούτους, cf. Boeckh. staatsh. I. 213.) hac rogatione factum esse ut multi peculatus accusarentur, aut quod debitam pecuniam ultro non solverant ad eam pendendam cogerentur, per se patet. inter eos vero qui debitoris nomen magistratui illi deferebant, erat etiam Euctemon idem qui duobus ante annis Androtionem caussa persecutus erat. qui praedam naucraticam recordatus, ne initio statim privato in Androtionem odio ductus videretur, non tres illos legatos Androtionem, Melanopum, Glauceten habere pecuniam naucraticam nuntiavit, sed Archebium et Lysitheidem, qui navi longae, qua legati profecti erant, a se instructae trierarchorum munere functi praefuerant. hos igitur ab illo magistratu (τοῖς ζητηταῖς) commonefactos esse veri simile est, ut pecuniam, quem ad modum fieri solebat (tim. § 96), una cum multa, quam ob pecunias publicas iusto diutius retentas commiserant, in curia deponerent. at videntur recusasse pecuniam solvere et a legatis, non a se, eam servari nuntiavisse. certe cum zetetae rem non possent decernere, ab eis relatum est ad senatum, qui eam a populo diiudicari voluit. quare, ut fieri solebat, senatus praeparavit rogationem (προβούλευμα) ad populum ferendam ut sciscereturr.[1]) valde turbulenta fuerunt comitia quae in hac quaestione diiudicanda versabantur. nam in ea, nisi forte superlationem oratoriam

---

1) hic ASchaeferi levis error videtur corrigendus esse. is enim I p. 331 Euctemonem narrat Archebii et Lysitheidis nomina zetetis detulisse, tum senatum adiisse absque eo rogationem sibi faventem (illud προβούλευμα) nanctum esse. (darauf hin meldete Euctemon, Archebios und Lysitheides hätten noch von ihrer trierarchie her das naukratische schiffsgut, gieng mit der sache an den rath und erlangte von diesem einen vorbeschluss, in welchem auf zahlungsverbindlichkeit der angemeldeten erkannt wurde). at non Euctemonem sed zetetas rem ad senatum rettulisse arbitror. nam si cuivis delatori debitoris nomen senatui deferre licuisset, non intellegeretur, cui rei zetetae constituti fuissent. facilius fuisset si unusquisque statim delationem suam ad senatum dedisset. sic potius nobis de hoc instituto cogitandum erit: zetetae simulatque aliquem aerario debentem invenerunt, eius nomen in curia adscripserunt eumque sive ipsi sive apodectae (quorum erat pecunias exigere) adhortati sunt ut quod deberet penderet. quodsi non fecit, senatum commonuerunt ut in eum legibus uteretur quales in publicanos adhiberi solebant (cf. timocr. 96). sin vero res dubia erat, senatus ad populum rettulit ut quae vellet fieri iuberet. quare Euctemoni ne licuisse quidem censeo, senatum adire. officio suo satis fecerat, cum zetetis Archebii et Lysitheidis nomina detulisset; reliquis consulere huius fuit magistratus, et quae verba timocr. § 11 leguntur προσῆλθε τῇ βουλῇ, προβούλευμ' ἐγράφη. non ita interpretanda sunt, ut Euctemon, sed ut res ad senatum venisse dicatur. porro aeque errasse videtur Schaeferus, cum Euctemonem ab senatu sententiam de pecunia solvenda tulisse diceret. nam προβουλεύματα arbitria senatus erant quae non homini alicui darentur sed ferrentur de aliqua re, de qua decernere solius populi erat (cf. Schoemann antiqu. I p. 387. 396). in caussa de qua hoc loco agitur senatus sententiam eo inclinasse ut trierarchos pecuniae solvendae obligandos esse censeret conicere licet e verbis § 9 τῆς βουλῆς κατεγνωκυίας, — γνωσθέντα ὑπὸ τῆς βουλῆς, 196 ἐν τρισὶν ἐξελεγχθέντας δικαστηρίοις cll. Schaefer I 332 adn. 1. quae si recte disputata sunt, Demosthenes summatim tantum et quam brevissime § 11 rem narrasse dicendus erit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

adgnoscere volumus, populus totum diem consumpsit (tim. 9). postquam enim porrectis manibus ostendit (προὐχειροτόνησε) se de ea re agere velle, Euctemon in suggestum progressus, aerario pecuniam legitime adsignandam ideoque a trierarchis exigendam esse exposuit. in hanc sententiam Androtion Glaucetes Melanopus summo opere invehebantur, iniustissimam dicentes multisque contumeliis exprobrantes. praeterea non trierarchos, sed se ipsos pecuniam habere professi sunt. quid igitur populus faceret? Euctemon a sua sententia non recessit, et in suggestum iterum progressus certissimis rationibus pecuniam rei publicae esse evicit et quamquam legati ipsi trierarchos purgassent, tamen suadere se, ut nihilo setius civitas pecuniam a trierarchis posceret: his enim licere lite instructa eam a legatis reposcere. quod si minus placeret aut si quid dubii restaret, uterentur ea dicae forma (quae διαδικασία apud Athenienses vocabatur), qua a iudicibus decerneretur, uter debitor fiscalis habendus esset (cf. Meier-Schoemann. att. proc. p. 367). ex his duabus rogationibus — nam unam esse ASchaefero I. p. 331 non credemus — post multa a multis in diversas partes dicta tandem posteriorem Euctemon in populi sciti formam redegit: id quod patet e verbis § 101 τὸ ψήφισμα τὸ Εὐκτήμονος εἴρηκε πράττειν τοὺς ὠφληκότας κατὰ τοὺς νόμους (τοὺς τελωνικούς). nam non a trierarchis Euctemon pecuniam exigi voluit sed ab ὠφληκόσιν, i. e. ab eis quibus a iudicibus pecuniae solutio imperata esset. sed hanc suam rogationem Euctemon non videtur pertulisse. nam antequam is qui comitia moderabatur (ἐπιστάτης) populum in suffragium misit, Androtion suffragiorum eventum prospiciens interpellavit quo minus de ea re suffragia ferrentur. se enim dixit rogationem ad iudices delaturum esse quod cum legibus pugnaret. hoc modo ex comitiis nullum profectum est populi scitum, sed ita de Androtione et eis qui una legationem subierant, actum erat ut quid populus sentiret facile posset perspici.

Quae modo dixi, nec leguntur disertis verbis apud Demosthenem neque ab ASchaefero sic exponuntur. quare cur mihi ea animo sic effinxerim, excursu facto dicendum erit. Arnoldus igitur Schaeferus Euctemonis rogationem a populo acceptam esse narravit et Androtionem se caussam legis violatae (γραφὴν παρανόμων) instructurum esse pollicitum, ea re effecisse ut illius populi sciti legitime effecti vis et auctoritas inhiberetur usque dum a iudicibus disceptaretur (Dieser antrag ward zum beschluss erhoben, aber die davon betroffenen wandten dawider die klage ein, er sei gesetzwidrig.). quaeritur, ut hoc quam potero distinctissime dicam, utrum ante suffragia a populo de Euctemonis rogatione lata an post ea lata Androtion actionem legis violatae praenuntiaverit. et utrumque Athenis licuisse, docemur a Schoemanno.[1]) illud si statueris, nondum populi scitum ullum confectum erat,

1) Lubet eius verba adferre ex antiq. I. p. 399 (ed. II): Einspruch gegen die abstimmung zu erheben stand aber auch jedem stimmberechtigten bürger zu, wenn er erklärte, dass er den antrag als widergesetzlich durch die sogenannte γραφὴ παρανόμων vor gericht verfolgen wolle: eine erklärung die eidlich abgegeben wurde, und nach welcher die abstimmung nothwendig ausgesetzt werden musste, weswegen jene erklärung auch, wie jeder andere dilatorische eid, ὑπωμοσία genannt wird. Die gleiche erklärung konnte

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

hoc vero si posueris, populi scitum exstabat, quod utrum valeret necne a iudicibus decerneretur. quid ergo habeo, quod pro opinione mea pugnet? primum Demosthenem ipsum adfero qui de contione illa ita loquitur ut inde conicias populum nihil scivisse, sed tantummodo multum in ea quaestione versatum esse et quid sibi videretur clamoribus solum talibusque rebus indixisse. in brevi rerum conspectu § 9 dicit: τοῦ δὲ πράγματος οὐκέτ' ὄντος ἀμφισβητησίμου, ἀλλὰ πρῶτον μὲν τῆς βουλῆς κατεγνωκυίας, εἶτα τοῦ δήμου μίαν ἡμέραν ὅλην ἐπὶ τούτοις αὐτοῖς ἀναλώσαντος, πρὸς δὲ τούτοις δικαστηρίοιν δυοῖν εἰς ἕνα καὶ χιλίους ἐψηφισμένων. dicit tantum populum totum per diem illam quaestionem tractasse, non dicit eum contra Androtionem suffragia tulisse (κατεγνωκότος vel κατεψηφισμένου). nimirum mentitus esset si talia protulisset. doleo quod § 117 in meam sententiam adferre non iam licet (nam eam interpolatam arbitror): ubi cum verbis νῦν δὲ . . . τὸ μὲν ὑμέτερον δόγμα καὶ τὴν τοῦ δικαστηρίου ψῆφον καὶ τοὺς ἄλλους νόμους ἀκύρους οἴεται (sc. Timocrates) δεῖν εἶναι, arbitrii popularis mentio iniciatur neque τὸ ὑμέτερον ψήφισμα dicatur, non videtur de populi scito cogitari posse. neque vero fallet nos quod et § 14 (γράφονται τὸ ψήφισμα) et § 101 (τὸ ψήφισμα τὸ Εὐκτήμονος) illi rogationi psephismatis nomen tribuit. nam hominis privati rogationem, etiamsi a populo rata non erat facta, aliter vocare non potuit. — Tum fac Euctemonis rogationem a populo acceptam esse. iam eam crimine, cuius Euctemon eam arguerat, quod contra leges lata esset, mense Scirophorione a iudicio absolutam esse scimus (tim. § 15). ex hoc igitur tempore populi scitum omni sua auctoritate pollere necesse erat. iubebat autem primum διαδικασίας actionem institui. cur non instituta est? nam quod factam eam esse auctor argumenti secundi autumat his verbis διαδικασίας δὲ γενομένης τοῖς πρέσβεσι πρὸς τοὺς τριηράρχους ἡττήθησαν οἱ πρέσβεις, nescitur unde petitum sit. certe apud Demosthenem nec vola nec vestigium adparet. et quod ASchaeferus, quoniam legati iam in populi contione penes se esse pecuniam confessi essent, nullum fuisse διαδικασίας actioni locum scripsit, non cogitavit ille, postquam illud legati aperuissent, tamen cum Euctemoni tum Atheniensibus in mentem venisse ut διαδικασίαν fieri posse iudicarent. iubebat porro populi scitum senatum adhibendis legibus illis severis quae publicanis positae erant, in τοὺς ὠφληκότας agere. cur ab eis non exegit et pecuniam naucraticam et multam quae (προσκατάβλημα vocata) vel duodeviginti talenta excedebat (cf. Schaefer p. 342)? quo modo Androtion cum Scirophorionem tum priores anni insequentis menses praetermittere potuit, quin pecuniam penderet? quo denique modo fieri potuit ut Androtion cum solvebat, ne tum quidem omnia sicut leges volebant pensitaret? iam vero quam facile omnes hae difficultates tolluntur, dum modo populi scitum legitime non esse confectum ponas. tum senatui norma quam presse seque-

---

aber auch dann noch abgegeben werden, wenn über den antrag schon abgestimmt war und das volk ihm genehmigt hatte. Sie hatte dann die wirkung, dass die gültigkeit des beschlusses bis zur richterlichen entscheidung suspendirt blieb. Cf. etiam Hermann antiqu. I. § 134 not. 4 sqq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

retur, non fuit. nescivit utrum oboediret Euctemonis rogationi, quamvis ei populus addictus esse videretur, an eam a populo in alia contione sanciri sineret. atque hoc ne fieret, Androtionis calliditas providit. is enim se velle pecuniam solvere in foro clamitavit. sic rem potuit ille producere usque ad id tempus, quo paullo ante caussam timocrateam actam se nullo modo recusaturum esse intellexit quominus debitum praestaret. —

Sed haec omnia levioris sunt momenti. redeo ad rerum gestarum seriem narrandam. Androtion (hunc liceat brevitatis caussa unum memorare trium legatorum loco) Euctemonem quod rogationem legibus repugnantem tulisset, in iudicium arcessivit, iudicum sententiis se a solvenda pecunia liberatum iri confisus. quae spes eum fefellit. iudicium in quod iudices mille et unus cogebantur, illum recte egisse iudicavit (mense Scirophorione a. Ol. 106, 3). itaque se facere non posse quin omnino solveret, Androtion intellexit. at duo pericula, quae ei imminebant, effugere voluit. nam quae ei solvenda erat, non amplius sola erat pecunia naucratica novem talentum triginta minarum, sed quia eo quo fas erat tempore, id est statim post legationem suam non solverat, illius pecuniae ea pars quae in aerarium publicum rediret (τὰ ὅσια χρήματα) duplicata, quae vero in aeraria Minervae et aliorum Deorum referretur (τὰ ἱερὰ χρήματα), decemplicata pensitanda erat, ita ut summam integram viginti octo talentum septem minarum viginti drachmarum Androtion pendere deberet (cf. Schaefer I p. 342). quam summam cum temporis momento solvere non posset, cumque facile fieri posset ut populus rogationem quam Euctemon tulerat et iudices cum legibus pugnare negaverant, in alia contione scisceret, alterum quod dixi periculum fuit, ne in carcerem traderetur. quare rursus malis artibus uti conatus est. ac primum ut sibi liceret simplicem pecuniam reddere, non duplicatam aut decemplicatam, misericordiam civium inploravit. tota enim urbe per adseclas suos rumorem sparsit se ad pecuniam simplicem pendendam paratissimum quidem esse, non posse conficere duplicatam. quamquam ne drachmam quidem tum numeravit. id saltem nuntio illo effecisse videtur ut Athenienses de populi scito rite conficiendo non cogitarent. simul autem ut et anno insequenti vincula effugeret et lege sibi pecunia simplex solvenda sponderetur, Timocratis operam petivit perque eum legem novam perferendam curavit sibi faventem.

Inde ab hoc tempore Timocrates in scaenam quasi progreditur primasque partes agit. solebat enim in primis cuiusque anni comitiis, quae die undecimo Hecatombaeonis mensis habebantur, interrogari populus num leges quasdam abrogari pateretur, ut, si illud concessum esset, cum eis qui haberent rogationes ferendi venia dari tum omnia quae ad legis lationem pertinerent, rite praeparari possent (v. Schoemann antiqu. I. 402). hanc occasionem sibi opportunam esse ratus Timocrates praetermittere noluit. sed ut et celeriter et quantum fieri posset, furtim legem suam perferret, coram populo omnia agi non passus est. simulatione ei opus erat. instabant Panathenaeorum minorum sollemnia. iam vero et ad ea splendide celebranda et omnino ad rem publicam administrandam pecuniam deesse ei qui Timocratem adiuvabant conquesti sunt. quare quoniam urgeret festum im-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

minens, rogabant ut neglectis eis quae hac de re legibus instituta essent, in ipsis illis primis comitiis viri (νομοθέται) eligerentur, qui pecuniae conparandae consulerent. atque hos postero statim die, i. e. duodecimo Hecatombaeonis die, rem suam adgredi et negotium sibi traditum conficere illi voluerunt. quam Epicratis rogationem — Epicrates enim et in ficto plebis scito apud Demosthenem § 27 et a scholiasta ad h. l. nominatur — populus nescio qua re motus suffragio suo conprobavit. cum autem postero die ei quibus cura illa a populo mandata erat, coissent, apud eos Timocrates legem tulit quae tamen non ad eas res quas spectare populus voluerat, sed ad alias res longe diversas pertinebat. ecce ea: „si cui eorum qui aerario publico pecuniam debent, carceris poena aut irrogata est aut in posterum irrogabitur, liceto illi aut alii pro illo praedes dare qui quidem populo accepti sint quique illum nona prytania (i. e. paenultima anni) pecuniam debitam soluturum esse spondeant. comitiorum moderatores simulatque aliquis praedes dare voluit, de eis accipiendis aut repudiandis populum in suffragia mittunto. ei qui praedes dedit, si aerario pecuniam de qua illi caverunt usque ad diem constitutam solverit, carceris poena remittitor. sin vero neque ille neque praedes nona prytania pecuniam solverint, debitor in vincula conicitor, praedum bona publicantor. hac lege tenentor omnes cives praeter publicanos eorumque praedes.“ liceat hanc legem qualem ex Demosthenis textu ASchaeferus restituit, verbis graecis repetere quippe in qua actionis timocrateae quasi cardo versetur. Τιμοκράτης εἶπεν· — καὶ εἴ τινι τῶν ὀφειλόντων τῷ δημοσίῳ προςτετίμηται κατὰ νόμον ἢ κατὰ ψήφισμα δεσμοῦ, ἢ τὸ λοιπὸν προςτιμηθῇ, εἶναι αὐτῷ ἢ ἄλλῳ ὑπὲρ ἐκείνου ἐγγυητὰς καταστῆσαι, οὓς ἂν ὁ δῆμος χειροτονήσῃ, ἢ μὴν ἐπὶ τῆς ἐνάτης πρυτανείας ἐκτίσειν τὸ ἀργύριον ὃ ὤφλεν, τοὺς δὲ προέδρους ἐπιχειροτονεῖν ἐπάναγκες, ὅταν τις καθιστάναι βούληται . . . τῷ δὲ καταστήσαντι τοὺς ἐγγυητάς, ἐὰν ἀποδιδῷ τῇ πόλει τὸ ἀργύριον ἐφ' ᾧ κατέστησε τοὺς ἐγγυητάς, ἀφεῖσθαι τοῦ δεσμοῦ. ἐὰν δὲ μὴ καταβάλῃ τὸ ἀργύριον ἢ αὐτὸς ἢ οἱ ἐγγυηταὶ ἐπὶ τῆς ἐνάτης πρυτανείας, τὸν μὲν ἐξεγγυηθέντα δεδέσθαι, τῶν δ' ἐγγυητῶν δημοσίαν εἶναι τὴν οὐσίαν . . χρῆσθαι δὲ τῷ νόμῳ περὶ πάντων πλὴν περὶ τῶν τελωνῶν καὶ τῶν (τὰ τεμένη?) μισθουμένων καὶ ὅσοι ταῦτα ἐγγυῶνται· κατὰ τούτων δὲ εἶναι τὰς πράξεις κατὰ τοὺς ὑπάρχοντας νόμους.

Hanc Timocratis legem viri legibus scribendis ratam fecerunt. qua re effectum est ut Androtion neque in vincula traderetur neque duodeviginti talentis solvendis obligaretur. quae tamen securitas illi non mansit nimium diu. nam mox Diodorus una cum Euctemone, qui viri iam duobus ante annis in caussa androtionea accusatores coniuncti prodierant, privato in Androtionem odio inflammati, actionem in Timocratem intenderunt, quod contra leges legem tulisset (γραφὴ παρανόμων). ex eo quod eius legis ab ipso Timocrate ratio reposcitur, hanc caussam eodem illo anno ol. 106, 4 apud iudices actam esse cognoscimus. Diodoro qui primas accusandi partes in se receperat, Demosthenes accusationem scripsit. hoc denique dicendum est, Androtionem ut et invidiam in Timocratem excitatam tolleret et sibi caveret, antequam caussa in iudicium veniret, pecuniam quam rei publicae debere sibi videbatur, in aerarium rettulisse.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Accedo ad ipsam orationem. exordium (προοίμιον) quod paragraphos 1—5 conplectitur, magna cum arte Demosthenes ita instituit, ut iudicum animos ad id quod dicturus est audiendum paratos faciat. quod ut consequatur, multis rationibus eorum benevolentiam studet sibi conciliare, in odium adducere adversarium. hunc enim lucri cupiditate ductum, ut et ipse pecunia locupletaretur et socii rem publicam inpune defraudarent, legem suam tulisse eamque iniustissimam atque inprobissimam. se autem pro re publica actionem in Timocratem intendisse, et ita quidem, ut si condemnetur futurum sit ut mille drachmarum multa adficiatur. iudicum denique auctoritati quam Timocrates diminuere studuisset, a se consultum esse. quibus rebus iudices non solum benevolos sibi reddidit et attentos, sed acrius etiam eorum animos ad rem suam attendit, cum veri superlatione quadam usus paene totam rem publicam summum in discrimen adductam esse a Timocrate dicat. ab eo enim omnes leges, quibus nullum firmius rei publicae esset fundamentum, labefactari funditusque everti. atque agi iam utrum instituta omnia, quin ipsa res publica corruant, an una lege timocratea sublata integra maneant et intacta.

Narrationis locum obtinent παραδιήγησις (§ 6—10) et κατάστασις (§ 11—16). narratione autem in hac oratione non opus fuit, quod lex de qua agitur satis nota erat iudicibus, atque praeterea in exordii fine iam Demosthenes exposuerat quo summa quaestionis rediret. quaeri enim dicit, utrum leges ceterae omnes an lex timocratea vigeant: nam eas inter se vehementer pugnare. verum tamen παραδιηγήσει, cuius quod sciam nomen latinum non invenitur[1]), sibi opus esse orator intellexit. nam qui factum est, ut Diodorus, homo ceteroquin vix versatus in rebus publicis, in Timocratem actionem instituerit? narrat ille et se et Euctemonem qui una secum litem instruxisset, iam pridem maximo in Androtionem odio inflammatos esse: se enim ab isto aliquando parricidii reum factum atque hoc modo innocentem, tamen maximo ac paene inaudito crimine oneratum esse, Euctemonem vero in re argentaria ab Androtione circumventum esse. quare quoniam Androtionem cum multis aliis rebus tum quod pecuniam publicam intercepisset, multa detrimenta urbi intulisse vidissent, hanc occasionem satis aptam ad patriam iuvandam simulque ad ipsorum iniuriam ulciscendam sibi esse oblatam. atque cum in usum hominis tam scelerati Timocrates vel legem tulisset, facere se non potuisse quin hunc legis perniciose latae insimularent. — Haec orationis pars etiam a scholiasta, cuius verba in codicibus A. T. C. V. leguntur, παραδιήγησις vocatur (ad p. 701, 23 ed. Dind.), non item in codice Y in quo multae turbae sunt et res diversissimae, a diversis auctoribus profectae, inter se confunduntur (ad p. 701, 17). cum enim alter tertium prooemium a § 6 incipere, tum sequi duas προκατασκευάς nuntiavisset, artificiosioribus quam verioribus argumentis hanc sententiam fulciens, alter scholiasta non tertium prooemium, sed instar prooemii et quod ad prooemium

1) est autem παραδιήγησις, ὅταν πρὸ αὐτοῦ τοῦ πράγματος ἔξωθεν ἕτερόν τι διηγησώμεθα. Anonym. Seguer. p. 435.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

proxime accederet, incipere inde a § 6 dixit: ἀρχὴ τῆς προοιμιακῆς ἐννοίας . . . . . , τὴν δὲ προοιμιακὴν ἔννοιαν μόνον διηγεῖσθαι τὴν αἰτίαν δι' ἣν ἦλθεν ἐπὶ τὸ πρᾶγμα. quae προοιμιακὴ ἔννοια, cum nomine, non re distet ab παραδιηγήσει quam supra dixi, nihil refert utrum nomen huic parti inponas.

Quod paragraphis 11—16 κατάστασιν, non διήγησιν contineri dixi, factum est et quod scholiastae conpluribus locis (ad. 701, 17; 702, 10; 703, 7. 10. 14) sic vocant et quod Anonymus Seguerianus p. 441 διαφέρει δέ, inquit, διήγησις καταστάσεως, ὅτι ἐν μὲν τῇ καταστάσει περὶ ὧν ἴσασιν οἱ δικασταὶ καθιστάμεθα, ἐν δὲ τῇ διηγήσει ἃ ἀγνοοῦσι διηγούμεθα. ceterum in hac parte Demosthenes non simpliciter narrat res quae inde ab Androtionis legatione usque ad legem a Timocrate latam gestae sunt, sed cum consilio quodam eas explicat. id enim agit ut iudicibus suspitionem moveat Timocratem propter Androtionem legem tulisse; itaque omnes res in eo conlocat nexu eaque cohaerentia ut inde huic opinioni fides quasi ultro nascatur. quare in argumenti secundi aliqua parte[1]) rectissime dicitur orator calumniandi caussa legatos in narrationem introduxisse: τὴν γὰρ κατὰ τῶν πρέσβεων ὑπόθεσιν ἐν τῇ καταστάσει καὶ παρεκβάσει τέθεικε διαβολῆς ἕνεκα δηλονότι. hanc partem concludens legem Timocratis cum multis legibus pugnare dicit. id quod statim argumentis probare adgreditur.

Confirmatio (πίστεις) § 17—109.

Partitionem i. e. rerum de quibus dicturus est, enumerationem post exordium et narrationem Demosthenes non inseruit. sed totam argumentationem tripertitam esse cum ex oratione ipsa tum ex repetita enumeratione quae § 108. 109 legitur, cognoscimus.

I. § 17—31. transitione brevissima usus declarat orator se de norma quae in legibus ferendis adhibenda sit, locuturum esse (ὅσα δεῖ ποιεῖν περὶ τῶν μελλόντων τεθήσεσθαι νόμων). utuntur vero Athenienses certissimo ritu legum novarum ferendarum, qui iam pridem obtinet et multo usu sancitus est, quem ritum legibus praelectis auditorum in memoriam reducit (17—25). iam vero Timocrates earum quae praescriptae sunt rerum multas neglexit. neque enim proposuit rogationem suam publice ad statuas Eponymorum, neque observavit temporis intervalla quae inter singulas actiones in legibus ferendis usitatas interposita esse oportebat (26). hoc denique peccavit Timocrates, quod administrationis et Panathenaeorum simulationem nomenque adripuit ut legem perferret quae res longe alias spectaret ac plebis scito esset concessum. (27—29). finem faciens Timocratis scelus orator ita amplificat, ut eum non solum plebis scitum neglexisse, sed ferias quas festis illis diebus populus imperassst laesisse dicat (30—31).

De prima hac probationis parte dicam quod sentio. ea enim oratorem quod sibi proposuerat ut gravissimam invidiam adversario conflaret, id non adsecutum esse censeo.

---

1) hoc alterum argumentum non est eiusdem auctoris, ut nonnulli homines docti iudicare videntur, sed duo argumenta a diversis scriptoribus prolata in unum quasi corpus coaluerunt; cf. infra.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nam quae dixit minime apta fuerunt ad persuadendum. omniaque haec crimina sibi inputata facile potuit adversarius eludere. ac primum quidem in legibus ferendis abrogandisve nequaquam illa aetate ad praecepta se adligabant, quae a Solone instituta erant. iandudum mala vigebat consuetudo ut quovis tempore et quavis ratione leges ad populum ferrent neque de eis nomothetas sinerent iudicare. in his rebus arbitrio ac voluntate eorum qui tum rem publicam regebant omnia gerebantur; „ita factum est ut Athenis nemo istius in legibus ferendis licentiae vindex existeret.“ (Schoemann, de comit. p. 269). et ipse Demosthenes in oratione leptinea (§. 91. 92) maximas turbas in legibus esse adeoque earum auctoritatem quasi consenuisse queritur ut leges iam nihil differant a plebis scitis saepeque ad plebis scitum aliquod incusandum antea lex feratur. ἐπειδὴ δέ, inquit, τῶν πολιτευομένων τινὲς δυνηθέντες, ὡς ἐγὼ πυνθάνομαι, κατεσκεύασαν αὑτοῖς ἐξεῖναι νομοθετεῖν ὅταν τις βούληται καὶ ὃν ἂν τύχῃ τρόπον, τοσοῦτοι μὲν οἱ ἐναντίοι σφίσιν αὐτοῖς εἰσι νόμοι, ὥστε χειροτονεῖθ' ὑμεῖς τοὺς διαλέξοντας τοὺς ἐναντίους ἐπὶ πάμπολυν ἤδη χρόνον, καὶ τὸ πρᾶγμα οὐδὲν μᾶλλον δύναται πέρας σχεῖν, ψηφισμάτων δ' οὐδ' ὁτιοῦν διαφέρουσιν οἱ νόμοι, ἀλλὰ νεώτεροι οἱ νόμοι, καθ' οὓς τὰ ψηφίσματα δεῖ γράφεσθαι, τῶν ψηφισμάτων αὐτῶν ὑμῖν εἰσιν. an quod anno ol. 106, 2 quo caussa leptinea acta est, usu evenit, id duobus post annis, cum orationem timocrateam scripsit, aliter sese habuisse credemus? quare si Demosthenes modum quo leges novae ferendae sunt, copiosissime persequitur et quod is a Timocrate neglectus est reprehendit, ille eo tueri se potuit quod similes res persaepe antea actae essent. tum audientium animi ne eo quidem moveri excitarique poterant, quod uno die post prima Hecatombaeonis comitia statim nomothetarum consilium coierat. nam plebis sciti verbis disertis quae αὔριον νομοθετεῖν iusserunt, hoc defendi potuit. restabat Demostheni solum ut adversario crimini verteret, quod aliud plebis scitum aliud eius lex spectaret. at hanc rem non posuit orator in summa luce, sed hoc potius probare studet, Timocratem malo consilio id egisse ut furtim legem suam perferret. id quod ille nulla alia re nisi oratoris coniectura niti dicere potuit. neque denique Demosthenes eo multum proficit, quod ferias publicas urget: nam in eo ipse populus non offenderat. — Haec si recte disputavi, haud scio an prudenter Demosthenes egerit, cum haec argumenta primo loco poneret. nam multi rhetores argumenta infirma inter firmissima interponenda esse docent. τοῦτο δὲ δεῖ εἰδέναι, ὅτι ὅταν πλείω ἰσχυρὰ ἔχωμεν, ὀλίγα δὲ ἀσθενῆ, μετὰ τὰ ἰσχυρὰ τὰ ἀσθενῆ προσήκει τιθέναι. (Anonym. Seguer. p. 452). neque multo melius altera argumentationis pars Demostheni cecidit.

II. § 32—67. Timocratis lex propterea reicienda est quod cum multis legibus antiquitus institutis pugnat. huic parti ut Demosthenes finem peculiarem § 66. 67 dedit, ita etiam quasi prooemium praemisit. nam recte scholiasta ad 705, 8 προοιμιακὴν ἔννοιαν paragraphis 32—38 contineri scripsit: πληρώσας δὲ, inquit, τοῦτο τὸ μέρος (i. e. partem § 17—31) προοιμιάζεται πάλιν περὶ τοῦ κατὰ τὸ πρᾶγμα νομίμου· „ὅτι μὲν τοίνυν οὐδὲν ὧν προσήκει καὶ κελεύουσιν οἱ νόμοι πεποίηκεν, εἰς τὰ προειρημένα ἄν τις σκοπῶν γνοίη“.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

τοῦτο γὰρ προοιμιακή τίς ἐστιν ἔννοια, ἐπισφραγιζομένη μὲν τὰ προειρημένα, προκαταρκτικὴ δὲ τῶν ἑξῆς. recitari autem iubet orator eam legem, per quam non licet legem ferre aliis repugnantem, et hoc quam pulchre quam iuste quam laudabiliter institutum sit exponit. qua in re iudicum benevolentiam captare non praetermittit, cum in illis maximam custodiam legum sitam esse dicat (32 — 38). sequitur legis timocrateae recitatio (39—40). legibus institutum erat, ut omnis nova lex ab ea demum die vigeret qua iussa esset. at Timocrates cum scriberet: „si cui carceris poena aut irrogata est aut irrogabitur", tempora conplexus et praeteritum et futurum, legis suae beneficio uti eos quoque voluit qui ante hanc diem a iudicio condemnati essent (41 — 44). legibus institutum erat ne quis rogaret ut infamia notatis aut aerarii debitoribus (ἀτίμοις καὶ ὀφείλουσι τῷ δημοσίῳ) aut donaretur pecunia debita aut liceret certis pensionibus solvere. quodsi tamen vellet, multis ambagibus opus erat: ad senatum debebat accedere indeque ad populum, et cum sex millibus suffragantibus dicendi venia ei data erat, tum demum rogationem ferre licebat (cf. Boeckh I p. 515). at Timocrates, veniae dicendi inpetrandae minime studiosus, neglectis senatu et contione populi, legem tulit, quae vel faveret eis qui aerario deberent (45—49). legibus institutum erat, ne quis pro eo aut deprecaretur aut omnino verba faceret qui iudicum sententiis damnatus esset. at Timocrates talibus hominibus, quibus ne deprecatio civiumque benevolentia quidem concessae sint, legem suam tulit et civibus vel invitis faveri istis voluit (50 — 53). legibus institutum erat ne de caussa a iudicibus iam transacta denuo ageretur. at Timocrates ut de eadem caussa ad populum referretur et populi suffragia de praedibus accipiendis colligere proëdri cogerentur instituit (54. 55). legibus institutum erat ut quae caussae a iudicio iudicatae essent, ratae essent. at Timocrates ex hoc numero eas tollit in quibus carceris poena irrogata est. quod cum statuat, res quae nunc gerantur a iudiciis, non aliter iudicandas esse censet atque res invidiosissimas illas quidem et odiosissimas a triginta tyrannis gestas. nam earum quoque auctoritas lege quadam infracta est (56 — 58). legibus institutum erat ne qua privilegia ferrentur privis hominibus. at Timocrates, ut Androtioni eum consuluisse taceamus, certe cum publicanos a lege sua excluserit, non omnibus aeque Atheniensibus eandem legem tulit. publicanos autem exclusit non quo eos plus peccasse censeret quam alios qui carceris poena adficerentur, sed quia amicos suos quibus voluit succurrere non vectigalibus rem publicam privasse sed alio modo deliquisse videbat (59. 60). denique cum longum sit omnes leges enumerare quibuscum timocratea pugnet, orator postremo loco aliquid adicit quod maximi momenti videtur esse. Timocrates enim sui ipsius accusator existit. nam anno priori legem quandam tulerat ex qua ei qui damnati et pecunia multati essent in carcerem conicerentur donec pecuniam solverent. at nunc idem ille Timocrates carceris poenam sustulit (61—65). enumeratione usus orator § 66. 67 colligit et commonet, quibus de rebus verba fecerit, id simul spectans ut Timocratem in audientium adducat suspitionem.

Supra dixi totam hanc argumentationem fine excidisse. cuius opinionis iam adferam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

rationes. praeter unam enim omnes quas laudat Demosthenes leges, quibus timocrateam repugnare dicit, pertinent ad res longe alias atque de quibus Timocrates egit. et miserrimis caussidicorum fallaciis artibusque usus legum sensum inflectere, perverse interpretari, omni modo calumniari conatus est. quare si Timocrati contigit ut hunc adversarii dolum et has iuris depravationes oculis audientium satis plane subiceret, profecto mirandum non erit quod Demosthenes cum illo prospere non videtur contendisse. maximam partem scholiasta codicum R. Y.[1]) rectissime iudicavit, cum Demosthenem sophistam agere dicat, raro erravit. singula capita iam persequi lubet. ac primum quidem Timocrati exprobravit orator, quod legis suae vim ante diem quo sancita esset valere iussisset. id solum praeclare atque merito accusavit. sed vel hoc crimen quodam modo effugere adversarius potuit, eoque magis potuit quo ipse orator planiorem excusandi viam ei monstravit. nam in lege quam adfert non simpliciter perscriptum erat ut nova quaeque lex ab die quo iussa esset, valeret, sed additum erat: „nisi si cui legi aliud certum tempus definitum est" (πλὴν εἴ τῳ χρόνος προςγέγραπται). itaque Timocrati dicere licebat, se aliud tempus definire voluisse, et quod non satis distincte fecisset, veniam a civium benevolentia se impetraturum sperare, certe nihil se commisisse nisi neglegentiae leve quoddam vitium. haec igitur criminatio tantum abest ut magnum contra Timocratem adferat momentum ut ipsa excusationem quandam in se includat: et rectissime commentatores nonnulli oratorem reprehenderunt quod illud legis corollarium commemorasset (schol. 713, 24 τοῦτο μέμφονταί τινες, ὅτι τὸν Τιμοκράτους νόμον μεμφόμενος αὐτὸ τοῦτο νῦν ἀποδέχεται τοῦ παλαιοῦ νόμου). quin ipse sibi ille nocuit cum nimio animi fervore studioque se abripi pateretur. nam cum timocrateam legem non solum tempora quae proxime antecessissent sed etiam prisca illa quibus ipsi auditores nondum nati essent, conplecti contenderet, ipse inrepsit in dumeta et quem aculeum in adversarium iacere voluit in se ipsum reflexit. tales enim ineptias si adversario inputat serioque adseverat, de ipsius fide fieri non potuit quin iudices qui Timocratem hominem sanae mentis noverant, vehementer dubitarent. — Accedo ad argumentum alterum. in quo lex adfertur de debitoribus publicis (§ 45). quae quid velit si quaeris, vetat de pecunia debita debitoribus omnino condonanda agi. hanc Demosthenes perversissime ac dolosissime adsciscit. nam Timocrates pecuniam omnino condonari nequaquam voluerat, sed diem solvendi tantum prorogavit, carceris poena remissa. vilem quendam lusum verborum invenimus, illic remissionem (ἄφεσιν) pecuniae, hic remissionem (ἄφεσιν) vinculorum. quare recte scholiasta R Y. σοφιστικῶς εἰςῆκται καὶ οὗτος ὁ νόμος. πῶς γὰρ ἂν ἐναντίος ὁ Τιμοκράτους φαίνοιτο νόμος τοῦ νῦν ἀναγιγνωσκομένου νόμου; εἰ μὲν γὰρ ἐκέλευε μηδένα καταβάλλειν τῶν ὀφειλόντων μηδέν, ἐναντίος ἂν ἦν προδήλως τῷ νῦν ἀναγιγνωσκομένῳ νόμῳ· εἰ δὲ καταναγκάζει τοὺς ὀφείλοντας δι' ἐγγυητῶν ἀποτίνειν τὰ ὀφλή-

1) omnino scholia quae in R Y extant maximam partem praeclara sunt atque egregia, reliqua plerumque inania vanaque.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ματα, δῆλός ἐστι συνῳδὰ προστάττων τούτῳ τῷ νόμῳ. neque melior tertiae quam attulit legis est ratio (§ 50 sqq.). hac enim quivis a populo petere vetatur, ut eis qui legibus damnati sint ignoscatur poenaque remittatur. quare hic agitur de remissione totius poenae, in lege timocratea de dilatione vinculorum. illic ne singulis hominibus in singulis caussis venia detur interdicitur: hic nova quaedam norma constituitur quam ubique in omnibus debitoribus adhibeant. quae cum ita sint, scholiastam R Y, quamquam non disertis verbis rationes huius loci explicavit, tamen sensu quodam recti ductum sic effatum esse iudicabimus: σοφιστικὸν κἀνταῦθα πάλιν τὸ ἐπιχείρημα· ὁ μὲν γὰρ νόμος ὁ τοῦ Τιμοκράτους κελεύει τοὺς ὀφείλοντας ἐγγυητὰς καθιστάναι, ἕως ἂν ἐκτίσωσιν· οὗτοσὶ δὲ προστάττει μηδὲν ἱκετεύειν περὶ ἀφέσεως ἐγκλημάτων. — Jam videas quam infirmo vinculo quarta lex, quam attulit orator, cum Timocratis lege contineatur. illa enim sancitur ne de caussa iudicata iterum apud iudices agatur neve archontes qui iudiciis praesunt, iterum de eadem re iudices in suffragia mittant. quid? huic legi Timocratem repugnasse putas? qui nequaquam auctor fuit neque ut priore iudicio soluto iudices iterum de eadem re suffragia ferrent neque ut ab heliaea ad populum provocatio esset, sed ut si forte populus acciperet, praedes daret debitor sponsuros illum usque ad nonam prytaniam pecuniam pensurum esse? aut quod comitiorum proëdros Timocrates lege sua coegit ut sine cunctatione de praedibus accipiendis populum in suffragia mitterent, eo illum peccasse putas? suntne vero comitiorum proëdri eidem qui iudiciis praesunt? quid multa? rectissime ac planissime quid rei sit, scholiasta explicat: εἰ μὲν περὶ τῶν αὐτῶν ἔμελλε χρηματίζειν ὁ δῆμος περὶ ὧν (sic scripsi, in codicibus legitur ὅ τε δῆμος ὧν) ἐχρημάτισε καὶ τὸ δικαστήριον, ἄτοπον ἂν εἴη· εἰ δὲ τὸ μὲν δικαστήριον ἐχρημάτισε περὶ τοῦ πότερον ἠδίκησεν ὁ δεῖνα ἢ οὔ, ὁ δὲ δῆμος χρηματίζει περὶ ἐγγυητῶν τοῦ προστιμήματος, δῆλον ὅτι περὶ διαφόρων οἱ χρηματισμοὶ καὶ τὸ σόφισμα ὁ ῥήτωρ ἐκ τούτου εἴληφε. quid vero fusius persequar legem quintam quae § 56—58 adsciscitur? cum qua manifestum est Timocratem conspirare. an is qui carceris poenam ex lege alicui irrogatam non statim subeundam esse sed ad tempus differri posse concessit, iudicii vim et auctoritatem infregit? severitatem mitigavit, auctoritatem nihil deminuit. adsentior igitur scholiastae: πῶς οὐ βούλεται κυρίας εἶναι τὰς δίκας ὅς γε εἴςπραξιν ἐπιτάττει τοῖς ὀφείλουσιν ἐκ δικαστηρίου; εἰ μὲν γὰρ τελέως τὸν δεσμὸν ἀφῃρεῖτο, δίκαια ἐγκαλῶν ὁ Δημοσθένης ἔδοξεν ἄν· εἰ δὲ πρὸς μὲν χρόνον ἀνίησι, μετὰ ταῦτα δὲ δεῖσθαι προστάττει, δῆλός ἐστι σύμφωνα μᾶλλον ἢ ἐναντία νομοθετῶν. — Venio ad eam argumentationis partem (§ 59. 60) ubi fallacissimum caussidicum Demosthenes se exhibet. furtim enim ac turpiter ex lege recitata aliquid omittit, quod maximi sit momenti. qua in re diiudicanda ASchaeferus (I p. 349) qui ceteris in rebus hanc orationem summis laudibus effert, viam rectam ingressus est. aliquotiens enim, inquit, studio iraque Demosthenes ita abripitur, ut in captiones se inducat inexplicabiles. nam lex quae privis hominibus privilegia ferri vetat, manifesto ad singulos quosque homines pertinet neque cuiquam nominatim beneficium atque gratiam a civitate dari vult. atque Timocrates ut multis hominibus, qui-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

bus in aerarium pecunia referenda esset, carceris poena differretur instituerat. quae differentia ne statim sub oculos caderet, Demosthenes verba gravissima ἐπ' ἀνδρί silentio praetermisit et simulavit legem esse ut de omnibus Atheniensibus idem praeciperetur (οὐκ ἐᾷ νόμον ἀλλ' ἢ τὸν αὐτὸν τιθέναι κατὰ τῶν πολιτῶν πάντων). atque Timocratem, quippe qui publicanos lege sua uti vetuisset, certe de omnibus civibus idem non praecepisse. at ne sic quidem Demosthenes recte ratiocinatus est. nam fac illam esse legem, nonne Timocrates congruenter vel cum ea rogationem tulit? cum omnibus Atheniensibus, qui publicani constituti officio suo non satis fecerint, carceris poenam irrogandam, omnibus Atheniensibus, qui alia de caussa aerario debeant, remittendam esse voluerit, peccavitne ille in legem quae de omnibus civibus idem praescribi iubet? per se enim patet, in legis formula omnes cives eos dici quorum eadem cuique in re publica ratio sit: et recte scholiasta Demosthenem refellens, ὁ δέ, inquit, ποσότητα ἀντὶ ποιότητος μεταλαμβάνει. sed Demosthenem, cum rem suam cum studio persequeretur, ira tam caecum reddidit, ut ineptias cumularet. ut enim melius Timocrati posset exprobrare, quod publicanos exclusisset, rem ita detorsit tamquam ille omnibus, qui ob quodvis crimen in vincula coniecti essent, ea solvisset: serioque quanto maiore poena ei, qui rem publicam prodidissent aut laesissent parentes aut inpuris manibus loca publica adirent, digni essent depinxit. cf. schol. 719, 24 τὸ δὲ σόφισμα διὰ τῆς ὁμωνυμίας et ASchaefer p. 349. — Quam postremo loco attulit legem (§ 61—65), eam quoque perverse interpretatus est. Timocratem enim putat semet ipsum accusare, quod antea legem aliquando tulisset, qua qui pecunia multati essent in vincula conicerentur, tunc vero tulisset legem, ut qui pecuniam deberent, ad tempus quoddam carcere liberati essent. at animadvertas, quaeso, quantum discrimen, quod quidem Demosthenes dissimulat, inter hanc et illam intercedat. nam illic de eis agitur, qui in certa quadam actione (εἰσαγγελία dicitur in lemmate ficticio) comdemnabantur et pecunia multabantur. hic de eis qui alio nomine aerario aliquid debebant. illi, superiore lege sua Timocrates praefinitum voluit, ut simul infamia notarentur (quae ἀτιμία in omnes debitores publicos cadebat, donec nomina dissolverunt) et necessario in vincula traderentur (Boeckh I p. 512). hi, legibus et aliis et posteriore timocratea sancitum erat, ut siquando poenam adaugere (προστίμημα) iudicibus luberet, possent vinculis adfici. itaque cum in utraque lege de diversis agatur rebus, non mirum erit, quod illi statim, hi dilatione quadam facta in vincula coniciuntur. hanc rationem scholiasta non perspexit, qui ad 721, 3 allucinatur.

Ut brevi conspectu repetam quae hucusque disputavi, argumenta omnia, quibus sententiam suam fulcire Demosthenes studet, quamquam permulta sunt numero, tamen futilia sunt atque infirmissima. atque ne id quidem ei contigit ut ullam legem adferret, quae tota timocrateae contraria esset; contigit solum ut demonstraret legem § 41—44 adlatam ex parte contra Timocratem stare. omnia vero alia, quamquam et perversissime interpretatur et augendo ac calumniando mentitur, ad rem nihil adferunt momenti. quae cum ita

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

essent, Demosthenes cum rationibus destitutus esset, inanium verborum turba audientium animos quasi obruit atque quod argumentatione firma docere non potuit, id furtim illorum mentibus studuit inmittere. quam ob rem illorum aures iterum iterumque talibus fere verbis refersit atque fatigavit: πολλοὺς δ'ἄν τις ἔχοι νόμους δεικνύναι, οἷς πᾶσιν ἐναντίος ἐστὶν ὃν οὗτος τέθεικεν. cf. § 32. 38. 41. 51. 61. 66. inde etiam natum est, quod unam legem in duo capitula divisit, ut adspectu maior videretur numerus argumentorum. nam recte scholiasta (716, 10) monere videtur, eam quam explanat § 50—53 legem non esse diversam ab ea quae antecedit. item ut maior accresceret materies, § 56—58 in duas partes divisit (cf. schol. ad 718, 12). — Venimus iam ad tertiam argumentationis partem quae longe optima est, quamquam ne haec quidem ab futili sophistarum ratione omnino aliena est. eam autem sic tractabo ut quae contra monenda videntur unicuique particulae statim adiungam.

III. § 68—109. Timocratis lex propterea repudianda est quod neque iuris dictioni utilis est neque totius rei publicae administrationi conducit. ante omnia igitur Demosthenes exponit, qualis sit lex oporteat, ut bona ac salubris possit nominari. plana autem sit oportet omnibusque perspicua, eas tantum res iubeat quae effici possint, neminem denique hominum sceleratorum adiuvet in facinore ullo inpune perpetrando. quarum rerum unam alteramve a Timocrate neglectam esse expositurus, membratim legem recitari iubet (68—70). in primo legis membro Timocrates cum de eis loquatur quibus carceris poena iam constituta est (προστετίμηται κατὰ νόμον ἢ κατὰ ψήφισμα δεσμοῦ) eosque si praedes dederint in vincula conici vetet, eo peccat quod iudicia legitime confecta rescindit. peccat porro quod res iudicatas eodem modo tractavit quo res dubias atque insequenti demum tempore iudicandas. qua re liberam rem publicam ad paucorum dominationem depravavit illiusque aequitatem in arbitrium ac libidinem mutavit. denique cum post sententias a iudicibus latas reis permittat ut praedes dent, iudices in odium invidiamque inducere, in se autem benevolentiam omnium convertere studuit (71—78). in his quae adscripsi rectissime Demosthenes exprobravit quod iste tempus praeteritum inmiscens, ad res iam transactas et iudicatas legis suae vim pertinere voluit. at quae inde collegit orator nimis artificiose effecit. quid enim? num re vera Timocrates iudicia ipsa rescidit? num is qui poenae a iudiciis constitutae gravitatem lenire et vinculis ad tempus dilatis tolerabiliorem reddere studuit, eo ipsas iudicum sententias labefactavit? minime vero. nam qui a iudicio condemnati erant, hac quoque lege instituta manebant condemnati neque quisquam eos crimine solutos voluerat. quare Demosthenes, si verum presse voluisset sequi, non τὰς κρίσεις λύειν § 72 dicere debebat, sed τὰς κατὰ τοὺς πρότερον κυρίους νόμους ζημίας γεγενημένας ἐπιχειρῆσαι λύειν. poenarum enim rationem Timocrates inmutavit. tum quae tamquam lege timocratea effecta § 74 proposuit orator, in eis omnia confudit et permiscuit. istum enim insimulat futura scelera et praeterita, vel scelera nondum patefacta et scelera patefacta in unum congessisse: πῶς γὰρ οὐ δεινὸν τῶν αὐτῶν ἠξιωκέναι δικαίων τοὺς ἐξεληλεγ-



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

μένους ἀδικοῦντας τὴν πόλιν πρότερον καὶ τοὺς μηδ' εἰ κρίσεως ἄξιον ἐργάσονταί τι δήλους; haec ineptiarum et allucinationum plena sunt. pertinet enim lex timocratea, ut quaevis alia lex, non ad eos qui utrum sceleris culpa teneantur necne dubium est, sed ad eos solos qui sceleris convicti iam sunt et si qui tempore futuro convicti erunt. quare recte scholiasta, Timocrates, inquit, si legem tulisset ut praedes ab eis darentur, de quibus quidem omnino non iudicatum esset, quasi iam criminis convicti essent, merito a Demosthene vituperatus esset. cum vero eos dixerit qui convicti sunt et qui aliquando convicti erunt, hoc certe nomine non egit iniuste (ad 723, 10 εἰ μὲν οὖν ἐνομοθέτει Τιμοκράτης, ἐγγυητὰς διδόναι τοὺς μηδέπω μὲν κεκριμένους ὡς ἐλεγχθέντας δέ, ὀρθῶς αἰτιᾶται ὁ ῥήτωρ· εἰ δὲ περὶ τῶν ἐξελήλεγμένων καὶ ἐξελεγχθησομένων, τί φαίνεται ἀδικῶν Τιμοκράτης;). — Sequitur (§ 75. 76) ratio quam inter paucorum administrationem civitatis et rem publicam legibus temperatam orator dicit intercedere. quae quamquam recte describitur, tamen nihil ad rem. nam qualem fallaciter interpretando sibi effinxit Timocratis legem cum imperio libidinoso paucorum conparavit. quare illa mitto et adcuratius in ea quae sequuntur (77. 78) inquiro, ubi eodem quo antea exposui modo iuste aliquid reprehendit, tum vero inde cogit nimia. ac recte quidem vitio dat quod Timocrates secundum leges veteres cum reo agi, tum vero, cum vincula ei a iudicibus constituta sunt, ea vult condonari: ferre debebat ne iudicibus liceret, ei qui praedes dare vellet, vincula decernere. quod cum Timocrates non fecerit, quid inde efficitur? nihil sane nisi ut ille legem dederit inopportunam ac malam. contra Demosthenes ut in illum graves excitaret inimicitias, inde collegit, eum quoniam eos qui iudicum sententiis in vincula tradendi essent tradi non sineret, benevolentissimum et mitissimum erga cives suos videri et se iudiciis potentiorem facere voluisse. collegit porro quod supra refelli, iudicum sententias ab illo labefactatas esse idque quidem in contione populi, in qua homines essent iure iurando non adstricti.

Quae sequuntur in legem dicta iustissime se habent. quae ut de reo fierent, Timocrates praescripsit ea non satis inter se conexa sunt neque cohaerent. postquam enim iudices in reum vincula statuerunt, illi licet non in ipso iudicio sed in contione populi praedes dare. quodcum fieri non soleat ut iudicia eodem quo contiones die habeantur, non praefinitum est lege, quid intra illud temporis intervallum, quod inter iudicia et comitia interiectum est condemnato fiat, utrum vinculis teneatur an omni potestate agendi utatur. quod cum Timocrates in suspenso reliquerit, Demosthenes in eum suspitionem conferre studet quasi poenae omnino eludendae occasionem reo dare voluerit (79—81). lex aerario damnum adportat. iubet enim simpliciter pecunias debitas referri, neque multas exigi quae legibus atticis irrogatae debitoribus neglegentibus magnam redituum publicorum partem efficiebant (82. 83). lex debitoribus viam monstrat qua et solutionem nominis et vinculorum poenam omnino possint evitare. (semper dixit Demosthenes, rem verbis exaggerans, debebat dicere ad tempus quoddam). nam simulatque aliquis praedes suos a populo repudiatos vidit, cum lex non iubeat donec praedes accepti sint in vinculis eum teneri, custo-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

diae non tradetur; nam semper poterit dictitare se praedes qui sibi caveant daturum esse (84. 85).

Tum rursus nimia quaedam cogere videtur Demosthenes. sic enim ratiocinatur: cum Timocrates vincula ad nonam prytaniam distulerit, non quo omnes usque ad illud tempus nomina exsoluturos esse putaverit sed quod fuga salutem petere eos voluit, reliquit sane poenae nomen et id quidem odiosum, rem prorsus sustulit. num vero potest iure quodam statui cives Athenienses voluntarium exilium praetulisse pecuniae solutioni? (86. 87). idem dicendum erit de eis quae sequuntur. exprobrat enim quod de eis qui omnino praedes dare non volent, nihil in lege praescriptum est indeque colligit his hominibus neque poenam ullam neque necessitatem inpositam sed omnia faciendi potestatem ac libertatem esse concessam. at per se patet in hos vetere illa lege agendum esse ex qua statim vinculis traduntur, idque recte scholiasta (728, 24) adnotat (88. 89). paragrapho insequenti (90) huic parti finem inposituru repetit res quas tractavit, id simul agens, ut Timocratis studium iudiciorum infringendorum contumeliis persequatur.

Ab iuris dictione vertit se oratio ad rei publicae administrationem, cui lex timocratea si vigeret magna incommoda multaque damna adferret. in bella gerenda quod inpensae fit, id non sumitur ex reditibus annuis, sed civium muneribus praestatur temporariis eis quidem et extraordinariis. nam et pecuniam conferre debent (quantam quisque summam conferret ex censu describebatur, quod munus εἰσφορά dictum est) et trierarchia fungi. quibus muneribus ut cives religiose perfungantur, vinculis adficiuntur qui officii neglegentes se praebent. iam vero cum per legem timocrateam liceat praedibus datis et vincula subterfugere et pecuniae solutionem ad nonam prytaniam differre, per octo prytanias pecunia deficiente bella geri non poterunt (91—95). haec quae orator obiecit quantum ad legem timocrateam inpugnandam valeant discerni vix poterit. at vereor ne lusus quidam verborum similis ei quem supra ad § 45 castigavi, hoc quoque loco nobis sit adgnoscendus. si enim merito obiecit, et trierarchi et ei qui pecuniam ex censu conferebant (εἰσφέροντες illi) debitorum publicorum in numero fuerint atque eisdem quibus illi conditionibus usi sint necesse est. sed hoc ipsum ut dubitemus aliquid saltem caussae superest. videamus primo eos qui ad belli necessitates pecuniam (εἰσφοράν) conferebant. atque hos quidem cum pecuniae, quam conferre debebant, sive summam totam sive partem aliquam die constituta non solvissent, in debitorum numerum relatos et τῶν ὀφειλόντων nomine signatos fuisse dubitari nullo modo potest. quicunque enim id quod praestandum ei sit civitati tempore praefinito non praestitit, debet (ὀφείλει). itaque qui in oratione androtionea vocantur οἱ μὴ τιθέντες τὰς εἰσφοράς (§ 42) vel οἱ ἐλλελοιπότες τὰς εἰσφοράς (65) vel οἱ ὀφείλοντες τὰς εἰσφοράς (56), eidem in eadem oratione simpliciter οἱ ὀφείλοντες dicuntur (§ 48. 51). sed tamen eorum ratio videtur ab eis diversa fuisse qui οἱ ὀφείλοντες τῷ δημοσίῳ nominantur (quamquam hi quoque brevitatis caussa saepius οἱ ὀφείλοντες omisso τῷ δημοσίῳ vocabulo dicuntur). in hos enim debitores fiscales severissime ac gravissime consultum



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

fuisse certum est: simulatque die praestituta non solverunt, infamia notabantur (ἄτιμοι fiebant), duplicata pecunia multari atque etiam vinculis adfici poterant. „at in eos qui vectigal illud militare extraordinarium (εἰσφοράν) ad tempus non pependerunt, inquit Boeckhius I p. 507 (cll. 691 sq.) minus severe consultum esse pro certo adfirmare licet neque usquam reperio eos in numero debitorum fiscalium fuisse. nam εἰσφοράν praestat non hominis persona sed res familiaris, quae cum pignoris loco habeatur publicari possit.“ quae cum ita esse videantur, cum lex timocratea ad eos pertineat qui et sunt ὀφείλοντες τῷ δημοσίῳ et duplicata pecunia multari et vinculis possunt adfici, nequeo mihi persuadere eam in eos quoque quadrare qui vectigal extra ordinem ex censu descriptum non pependerunt. neque de trierarchis aliter videtur iudicandum esse. hi enim in debitorum numero ponuntur cum aliquid quod ex navalibus acceperunt, aut omnino non reddiderunt aut non sic ut acceperunt: debent autem multis nominibus, sive navem, quae per trierarchiae tempus damnum acceperat, damnosam restituere conati damno sarciendo a iudicibus adstricti sunt, sive armamenta accepta vel ipsa vel pecuniam qua aestimata sunt nondum reddiderunt, sive navem, quam suis sumtibus se aedificare et rei publicae dono dare velle polliciti sunt, nondum navalium curatoribus tradiderunt, sive a senatu comdemnati et coacti sunt ut triremem reficiendam curarent, sive alio quo nomine, qua de re vide Boeckhium docum. rei nav. p. 210—230. iam ex hoc recensu videmus trierarchos non potuisse fieri debitores nisi post trierarchiam perfectam, i. e. post bellum finitum. at nostro loco Demosthenes de temporibus loquitur quae bellum antecedunt, et de hominibus qui in bellum instans trierarchi designati sunt. iam cum lex timocratea de debitoribus agat, trierarchi autem ante initam trierarchiam debitores fieri non potuerint, vides quam non fuerit lex inpedimento bellis gerendis. accedit alterum, quod item ex Boeckhii doc. rei nav. p. 211 repetere liceat: „quamvis severae essent, inquit, leges de debitoribus publicis conditae, eae tamen in eis qui navalibus debebant, rarissime videntur adhibitae esse: alioquin fieri non potuisset, ut tam multa debita tantum per tempus quantum ex titulis adparet non solverentur, scilicet neque infamia neque multae geminatione neque denique publicatione bonorum inpositis“. scimus porro ex oratione in Euergum et Mnesibulum quae inter demosthenicas ferri solet, illas poenas nequaquam in navalium debitoribus usitatas fuisse. immo solebant Athenienses ab eo qui haberet armamenta iterum iterumque repetere donec redderet aut etiam pignore capto eum cogere ut redderet (cf. § 20—43). semel tantum cum magna armamentorum inopia premerentur, populi scito praescriptum est ut bona eius qui non reddidisset publicarentur (ibd. § 44). quae si vere disputata sunt, lex timocratea ne in trierarchos quidem quadrat. sed de his rebus alio loco copiosius agere in animo est. — Restat solum ut explicem quo modo factum sit ut Demosthenes legem qua de agitur ad trierarchos et ad τοὺς εἰσφέροντας transferret. et videtur quidem occasionem haec inter se confundendi carceris poena praebuisse qua adficiebantur qui populi scitis non oboedirent. sic loquitur: οὐκοῦν ταῦθ' ὅπως γίγνηται (sc. τὸ τριηραρχεῖν, τὸ εἰσφέρειν, τὸ ἐκπλεῖν et quae sunt alia

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ad bellum necessaria), δικαστήρια πληροῦτε καὶ καταγιγνώσκετε δεσμὸν τῶν ἀκοσμούντων. ubi intendas quaeso animum ad illud ἀκοσμούντων: non dicit τῶν ὀφειλόντων, quod si haec vincula lege timocratea remitterentur, debebat dicere. hanc fuisse poenam trierarchorum munus sibi inpositum detrectantium cognoscimus ex Demosthene de cor. 107 et ex oratione de cor. trierarch. 4 cll. Boeckh I p. 701. in eis qui cunctarentur conferre suam partem, simile quid statutum fuisse credere licet, quamquam equidem unde pro certo pateat, locum adferre nequeo.

Sic pergit Demosthenes. non solum res bellicas sed etiam rem publicam internam administrare non poterimus florente lege timocratea. nam vectigalia annua et stataria quae administrationem sustinere sola nequeunt, ex eis pecuniis, quae προςκαταβλήματα vocantur incrementa capere solent. eae cum per legem illam fieri possit ut ante nonam prytaniam non redeant, per octo anni prytanias aut omnino non neque sacra facienda erunt neque comitia habenda neque iudicia exercenda neque senatus cogendus, aut haec omnia gratis administranda (96—101). haec cum dicat, Demosthenem nimis rem auxisse facile crediderim. sed adhuc mihi non liquet utrum tolerabilis sit exaggeratio an prorsus inpudica. nam quamquam ASchaefero (I p. 342 not) adsentio exponenti προςκαταβλήματα fuisse pecunias multaticias quae ob neglegentiam socordiamque in solvendo adauctae saepe duplo aut plus duplo summam principio debitam superabant, tamen nescio unde hauserit quod addit eas magnam redituum partem effecisse. etiam alio nomine totum hoc argumentum accusandum mihi videtur, de quo tamen quod longiore disputatione opus est, alio loco adcuratius agam. veniamus iam ad sequentia. ibi exponit orator quae et quanta mala in ipsa civitate ex lege illa oritura, quam iam libido ac nequitia per urbem inpune grassaturae, quam virtutis semina a Solone ubique diffusa misere ad exitium sint perventura. tria potissimum scelera commemorantur: furtum, parentum violatio (κάκωσις γονέων) signorum desertio (ἀστρατεία) quae carceris poena sublata ait insolentius se iam esse elatura (102—107). haec omnia cum grandiloquentia quadam, cum ardore animi, cum studio boni honestique laudabili prolata sunt. at vide ne fallaris cum re vera omnia contra legem Timocratis dicta esse credas. nam mihi quidem videtur nulla paene necessitas esse inter legem et has invectiones quamquam certis rationibus non possum id probare. ut saltem dicam quod sentio, ad aliud lex ad aliud Demosthenis verba pertinent. quod ut ostendam, iterum ante oculos nobis proponamus quae fuerit mens ac vis legis a Timocrate propositae. eis consultum voluit qui quod debitores publici facti ideoque infamia notati essent, possent simul custodiae tradi donec solverent, si id iudices decernerent. quam poenae accessionem (προστίμημα) patet ideo permissam esse ut et debitores metu illo ducti die praestituta solverent et si qui essent leviores et ad aerarium eludendum procliviores in eis maiorem civitas haberet cautionem. at consideres quaeso num etiam in eis, qui furati sunt aut signa deseruerunt aut pietatem adversus parentes violaverunt, carceris poena habuerit eandem vim atque in illis. etiamne in his cautionis caussa addita est, ut multae eis irrogatae solutio fieret? minime

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vero. carcer quidem per se numquam videtur poenae locum obtinuisse ut apud nostrates (cf. Schoemann. antiqu. I p. 506 not. ubi CFHermannum aliter iudicantem refutavit). semper carcer accedebat tantum ad aliam poenam quam illo auctam et cumulatam voluerunt, erat ut graece dicam προστίμημα. modo enim addebatur ut dixi, cautionis caussa qua sibi opus esse civitas arbitrabatur in eis qui solutionem pecuniae debitae partim omnino subterfugere partim ultra tempus legibus permissum trahere viderentur, modo ignominiae caussa in eis quibus praeter multam solutam turpitudinis macula inureretur. hoc posterius de furibus certo potest dici. eis id quod surripuerant reddendum fuisse constat. at adaugetur eis poena ex vetere Solonis lege quae etiam tum valebat, et per quinque noctes diesque in vinculis tenentur. id quod colligere licet si non ex lemmate § 105 quod subditum esse videtur, at certe ex ipsa hac oratione § 114 προστιμῆσαι δ' ἐξεῖναι δικαστηρίῳ πρὸς τῷ ἀργυρίῳ δεσμὸν τῷ κλέπτῃ, πένθ' ἡμέρας καὶ νύκτας ἴσας ὅπως ὁρῷεν ἅπαντες αὐτὸν δεδεμένον. (cf. Lysiam in Theomnestum § 16.) quae cum ita sint, lex timocratea manifesto non cadit in fures neque eos vinculis levat usque ad nonam prytaniam, et Demosthenes voce vinculorum adductus permiscuit duas res inter se diversas. hanc eandem rationem esse et eorum qui signa deseruerunt aut adversus parentes pietatem laeserunt, non possum quidem certis argumentis stabilire; sed plane simile veri mihi videtur eos non ideo vinculis adfectos esse, ut hac re provideretur ut multam quae a iudicibus eis imperata erat, pernumerarent, verum ideo vincula insuper esse adiuncta ut ignominiae exponerentur. quam ob rem de hoc loco sic statuerim: videri oratorem crimen cui Timocrates non est obnoxius, artificio quodam in eum detorsisse.

Paragraphis 108. 109 finem facit Demosthenes toti confirmationi et quas res exposuit breviter in audientium revocat memoriam. item nobis quoque colligere et commonere licebit quid de quaque re iudicaverimus. ac primum quidem rectissime exprobravit quod Timocrates normas, quae de legibus novis ferendis extabant, non esset secutus. at huic rei multum excusationis inde accessit, quod re ipsa normae illae tum numquam adcurate observabantur neque ita magno crimini Timocrati verti potuit quod usum tum obtinentem secutus illas neglexit. secundo loco leges enumeravit quibus Timocratem contrariam tulisse putavit. at ex eo numero unam si exceperis omnes alias falso adripuit adeoque earum mentem a vero detorsit ut id quod sibi videbatur demonstrasse re vera non demonstraverit. exposuit denique legem esse neque utilem neque opportunam. et quamquam inter haec quoque argumenta sunt quae dici vix potest quam futilia sint ac vana, tamen maxima ex parte a vero non abhorrent, atque e re publica Atheniensium esse confirmant legem timocrateam repudiare. —

De altera parte orationis § 110—218.

Aliter atque adhuc factum est in disputatione nostra videtur pergendum esse. in altera enim orationis parte insunt nonnulla quae num ab ipso Demosthene scripta sint, ab hominibus doctis merito dubitatum est. ut vero ordine ac ratione procedam, primo quae hic

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

exponuntur quam brevissime explicabo, tum quibus de caussis illa et eiecta et eicienda sint, recensebo, denique dicam unde videantur nata esse.

Malo consilio neque errore ductus legem tulit Timocrates, qui homo inpudentissimus nullo iure clamabit se populum levasse. nam tulit eam in usum Androtionis, furis nequissimi, sacrilegi corruptissimi. Solon contra vel eis qui levius peccarunt et res minores furati sunt, graves poenas constituit (110—115). ille autem sceleratos homines salvos facere voluit, id quod inde patet quod ad Euctemonis rogationem inritam faciendam suam condidit legem. qua etiam effecit ut iudices poenae irrogatione defraudaret (116—118). at qui sunt quibus opem ferendam censuerit? sunt fures sacrilegi parricidae homicidae signorum desertores, neque contendet serio Androtionem et eius socios furti sacrilegiique expertes esse (119—120). Androtion autem non sine dei alicuius ope in tantam superbiam inlaqueatus esse videtur ut inruat in perniciem inevitabilem (121). ac minus certe quam iste peccant publicani quibus poenas multo graviores instituit (122). multum interest inter populum et oratores istos malos, nam populus cum severitate quadam leges suas observari et vel atrocius in eos qui paupertate corrupti peccaverunt consuli vult, isti autem id agunt ut ne flagitiorum maximorum poenas iustas dent, se solos cives bonos esse simulantes (123—124).

Ne quis vero obiciat Athenarum magnitudine indignum futurum esse, si Androtion Melanopus Glaucetes, homines optime de civibus meriti in vincula conicerentur: immo hac poena sunt illi quidem dignissimi cum propter paterna quaedam flagitia tum quod maxima et plurima scelera ipsi perpetrarunt (125—130). quodsi succensent quod in carcerem coniciuntur, revocanda est in memoriam animadversionis severitas quam maiores in scelestis hominibus adhibebant. neque unquam antea succensuerunt neque qui, quod civitatem sibi adrogasse viderentur, custodiae tradebantur donec de eis iudicatum esset, neque qui cum aerario aliquid deberent, ibi retinebantur quoad solverent. quorum nominatim multi commemorantur qui gloriam haud parvam adepti, Androtione multo erant meliores cives (131—137). admonentur iudices ut, illud recordati, Eudemum quod legem tulerat perniciosam et nefariam, morte multatum esse, et Philippum quendam eiusdem criminis reum mortem vix effugisse, etiam in Timocratem maximam iram effundant. utinam ad leges ferendas ea prudentia adhibeatur, qua Locri uti dicuntur, apud quos quicunque legem novam fert collum laqueo inmissum habet ut, si forte lex nocens videatur, laqueus statim necti possit. Athenis contra levitas ac libido dominantur in legibus ferendis, arbitrium atque inpudentia in rebus publicis administrandis (138—143).

„At lex mea, inquiet Timocrates, habet quo defendatur ius iurandum senatorium. iurant enim senatores se nisi in certis quibusdam criminibus adcurate adscriptis nullum civem, qui trium hominum vadimonio sibi caveat, vinculis velle adficere.“ sed haec res non quadrat ad iudices. etenim senatorum quidem est deliberare de rebus non iudicatis, iudicum autem res iudicare: penes illos esse non potest vincula cuiquam decernere, penes hos

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

esse debet ut suam cuique sceleri poenam, ita etiam vincula irrogare. quam potestatem si iudiciis ademeris, non aliter ages ac si rem publicam evertere velis. quare eiusmodi studia primo quoque tempore opprimenda atque extinguenda sunt (144—154). dicta et facta sua omnia ad fallendum summa calliditate iste instruxit atque cum legem suam perferret, omnem labefactavit rem publicam. quo in studio multos habet adiutores, quorum mox nonnulli patroni eius existent eumque defendent, sibi simul ipsi optime consulturi (155—157). plurimum autem confidit eloquentiae Androtionis. qui si ei patrocinabitur, hac ipsa re ostendet sibi ipsi legem timocrateam conditam esse. sed quo modo in rebus publicis Androtion et Timocrates se gesserint paucis explanari opus erit (158. 159). persequitur inde orator ea quae duobus iam ante annis apud iudices in caussa androtionea exposuerat. quae, paucis exceptis aut mutatis, eisdem fere verbis ex illa oratione transscripta sunt. superbum atque insolentem cum de exactione nominum ageretur Androtion se praebuit, consilio et auxilio semper usus Timocratis. in pecuniis autem exigendis omni humanitate exuta ad summam crudelitatem et severitatem provectus est. neque Timocrates tum legem tulit quae aequitate atque clementia commendaretur (160—169). ne autem simulent pro civitate se talia fecisse: debent qui civitati providere volunt, civitatis mores humanos aequos clementes imitari (170. 171). istos duumviros ne voluisse quidem rei publicae commodo servire inde cernitur, quod quamquam saepissime caussae in homines vere iniustos intentae sunt, tamen numquam isti accusatores processerunt semperque tacuerunt. nimirum et istic tacendo praedae participes facti sunt, et hic loquendo peculatum facere voluerunt. quare iudices longo temporis intervallo ne decipiantur, sed iusta poena adficiant Timocratem (172—175). sed non solum exactio nominum Timocratem inprobitatis arguit, sed omnes res quas unquam inter cives gessit. furatus est multaque surripuit, cum vasa pompis sollemnibus inservientia restituenda et coronas, gratum sociorum in Athenas animum testantes, destruendas paterasque parvas minimeque urbis magnitudine dignas pro illis fabricandas curaret. quibus rebus effecit etiam, ut Atheniensium populus gloriae suae testimoniis defraudaretur (176—187).

Timocrates commemorabit Androtionem eiusque socios nomina iam solvisse atque iniquum esse dicet, si cum illi suspitionem ipsi motam removerint, nihilo setius puniatur. at si lex pro Androtione lata est, puniendus est propterea quod legis vis ad omnes aeque non pertinet; sin autem eam latam esse clamabit ut eius humanitas non ad unum Androtionem sed ad omnes diffunderetur, non est profecto, quod solutae pecuniae mentionem iniciat. ceterum ne id quidem ab omni parte certum est, secundum leges receptas solutionem illam esse factam (187—189). praedicabit porro humane a se institutum esse ne quis in posterum vinculis adficiatur, et e re inpotentiorum fore adfirmabit, si sint leges quam mitissimae. at lex eius ad res longe alias tendit, nam ut iudicia auctoritate sua vacent efficere studet. ceterum ne id quidem concedendum est legum quasi fundamentum clementiam esse oportere. insit quidem oportet clementia atque moderatio in iure civili, in iure publico

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vero severitas, ut rigore quodam disciplinae qui rem publicam capessant teneantur (190 — 193).

Ut alia silentio transeantur quae ad se purgandum fortasse adferet, eius certe rei nullam habebit excusationem, quod crimina quae tempore praeterito iam perpetrata sunt et si qua forte futura videantur una eademque lege conplexus est. hanc vero ut ferret nequaquam misericordia hominum infelicium permotus est, sed turpi inhonesti lucri cupiditate incensus Androtioni Melanopo Glaucetae hominibus nequissimis opitulandum esse censuit (194 — 199). quam hoc modo sibi conparavit pecuniam, eam ne in honestas quidem res inpendit. nam patrem suum in vinculis retentum quod parvum nomen expedire non potest, non liberat egregius ille senectutis adiutor, et sororem ut indotatam in matrimonium dare posset Corcyraeo cuidam pecunia ipse accepta vendidit (200 — 203). sequitur amplificatio. si quivis homo inpius poena adficiendus est, gravissimum poenae genus usurpari debet in Timocratem. qui cum scelerum committendorum libertatem omnibus qui volent lege sua concesserit, toti civitati et ignominiae maculam adspersit et bonam famam ademit et summam iniuriam intulit. nam qui rem publicam aliquam evertere eiusque exitium machinari volebant, id semper primum egerunt ut carcere aperto omnes expedirent e vinculis. atque Timocrates carcerem non modo aperuit, sed diruit, diruit simul iudicia (204 — 209). neque id neglegendum videtur quod Graecorum multi leges atticas in suam civitatem inducere et ad eas se adligare voluerunt. quae gloria prorsus concidet, si ad peiorem statum illae degenerabunt. itaque ut quam optimae sint semper videndum atque in eum qui eas corrumpere velit quam severissime consulendum erit (210. 211). Solon quondam nummos aureos et argenteos commercii caussa, quod inter singulos esset, dixit inventos esse, leges vero quasi rei publicae esse nummos sibi videri, quibus eius salus niteretur. quare quem ad modum ei qui nummos adulterinos fabricarent mortis poenam subirent, sic multo maiore supplicio dignum esse qui leges depravare auderet (212 — 214). leges quoniam sunt quasi fundamenta rei publicae quibus et illa bona, quae a natura Athenienses acceperunt, et haec quae ipsi sua opera sibi conparaverunt, nituntur et continentur, omnibus nervis iam intendendum erit ut salvae integraeque conserventur. quare in Timocrate edatur exemplum severitatis, quo quicunque sceleste ac nefarie agit terreatur atque ab iniuria retineatur (215 — 218). —

Vertamus nos ad sententias ab hominibus doctis de hac orationis parte prolatas. paragraphi enim 110 — 186 num principio a Demosthene huic orationi additae sint merito dubitari potest. quam suspitionem qui moveret primus exstitit Benselerus in libro docto et hercle magni laboris, quem „de hiatu in oratoribus atticis et historicis graecis“ conscripsit. ibi enim qua arte Demosthenes crebram vocalium concursionem ut vitiosam fugerit et quam artis limitibus eius usum circumscripserit, adcuratissime et doctissime perquisivit. atque ea quae invenit, iure conprobaverunt et alii et Voemelius (proleg. grammat. § 1 sqq. in Demosth. contionibus editis Halae 1857) et Arnoldus Schaeferus (addit. p. 317),



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

qui huic legi initio se magno opere diffisum esse ingenue fatetur. ab lege igitur hiatus plerumque evitati profectus Benselerus (p. 123 sq.) nullo modo fieri potuisse perspexit ut paragraphi 110—154 ab Demosthene profectae sint. nam cum plurimi et gravissimi hiatus, centum fere numero, ibi deprehendantur, talis orationis conformatio prorsus ab reliqua oratione abhorret vere demosthenica. ac profecto si abstinuisse hiatu Demosthenem invenimus, credere non debemus eum anxie circumspexisse ne in hiatus voraginem incideret: sed ita scripsit itaque verba conposuit ut quasi ultro pura caderent neve hiatu deturparentur. itaque quod hiatus abest, id non limae aut arti, sed scriptoris ingenio ac naturae tribuendum est, ut quod de alia re scholiasta dicit, etiam de hac dictionis virtute dicendum sit: οὕτως ὑπερβέβηκεν ὁ ῥήτωρ τῇ οἰκείᾳ φύσει τὴν τέχνην, οὐ τῇ τέχνῃ δουλεύων.

Hoc solo argumento non contentus, etiam alias rationes adscivit, ex quibus concludi posset Demosthenem haec non scripsisse. „postquam enim orator iam § 102 sq. dixit ab adversario iudiciorum de scelestis hominibus habendorum vim frangi et postquam § 108 satis se ostendisse adfirmat Timocratis legem civitati valde esse noxiam, tamen quamquam ipse se id satis demonstrasse est professus, idem argumentum pluribus exponitur § 110—121. quo factum est ut de eadem Solonis lege 102—108 et 113—116, atque de publicorum vectigalium redemtoribus § 59, 60 et 122 disputetur.“ adfert praeterea singulos locos qui vel in ipsis verbis congruant cum hac parte interpolata. quorum numerum ASchaeferus (addit. p. 64) auxit. hae repetitiones insunt potissimum in paragraphis 110—124. ut autem clarius perspiciatur quae similitudo inter hos et alios orationis locos intercedat, liceat praecipuos locos transscriptos hic subicere.

§ 110. δῆλός ἐσθ' ὅτι ταῦτ' ἔγραψεν ἐπιβουλεύσας καὶ μετὰ τοῦ βουλεύσασθαι ταῦτ' ἀδικεῖ καὶ οὐ γνώμῃ διαμαρτών, μάλιστα δ' ἐκ τοῦ πάντα τὸν νόμον μέχρι τῆς ὑστάτης συλλαβῆς τοιοῦτον εἶναι.

§ 48. ἵνα μὴ οὖν ἐπιβουλεύειν γ' ἐδόκεις ἀλλὰ γνώμῃ διαμαρτὼν ἀποτυχεῖν. § 70. ἔστι γὰρ οὐ τὸ μὲν αὐτοῦ καλῶς κείμενον τὸ δ' ἡμαρτημένον, ἀλλ' ὅλος ἐξ ἀρχῆς ἀπὸ τῆς πρώτης συλλαβῆς μέχρι τῆς τελευταίας, ἐφ' ὑμῖν κεῖται.

§ 110. οὐδὲ γὰρ οὐδ' ἄκων οὐδὲν ἔθηκεν ὀρθῶς ἔχον, οὐδ' ὡς ὑμῖν ἔμελλε λυσιτελήσειν. πῶς οὖν οὐκ εἰκὸς μισεῖν καὶ τιμωρεῖσθαι τοῦτον, ὅστις ... ὑπὲρ δὲ τῶν ἠδικηκότων καὶ ὕστερον ἀδικησόντων τοὺς νόμους ἔθηκεν;

§ 67. οὐ γὰρ ἄκων οὐδ' ὑπὲρ ἠτυχηκότων οὐδ' ὑπὲρ συγγενῶν καὶ ἀναγκαίων αὐτῷ τεθεικὼς φαίνεται τὸν νόμον, ἀλλ' ἑκὼν ὑπὲρ μεγάλ' ἠδικηκότων ὑμᾶς.

§ 111. θαυμάζω δὲ ... τῆς ἀναιδείας αὐτοῦ τό, ἡνίκα μὲν ἦρχεν αὐτὸς μετ' Ἀνδροτίωνος, τὸν ἔλεον τοῦτον ἐπὶ τῷ πλήθει τῷ ὑμετέρῳ μὴ ποιήσασθαι, ... ἐπειδὴ δ'

§ 197. οὐ γάρ ἐστι τῆς αὐτῆς ψυχῆς Ἀνδροτίωνα μὲν καὶ Μελάνωπον καὶ Γλαυκέτην ἐλεεῖν ἃ κλέψαντες εἶχον εἰ καταθήσουσι, τουτωνὶ δὲ τοσούτων ὄντων καὶ τῶν

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ἀνδροτίωνα ἔδει ἃ πάλαι ὑφῄρητο τῆς πόλεως χρήματα καταθεῖναι, ... τότε θεῖναι τὸν νόμον.

§ 113. καίτοι γ' ὁ Σόλων, ὦ ἄ. δ., ᾧ οὐδ' ἂν αὐτὸς Τιμοκράτης φήσαι ὅμοιος νομοθέτης εἶναι, οὐχ ὅπως ἀσφαλῶς κακουργήσουσι φαίνεται παρασκευάζων τοῖς τοιούτοις, ἀλλ' ὅπως ἢ μὴ ἀδικήσουσιν ἢ δώσουσι δίκην ἀξίαν.

§ 113. καὶ νόμον εἰσήνεγκεν κτλ. sequitur adcurata legis a Solone de furto institutae descriptio usque ad § 114 καὶ τούτων ὀλίγῳ πρότερον ἠκούσατε τῶν νόμων.

§ 116. καὶ οὐκ ἀπέχρησεν ὑπὲρ τῶν μελλόντων αὐτῷ ταῦτ' ἀδικεῖν, ἀλλὰ καὶ εἴ τις ἄρ' ἠδικηκὼς καὶ κεκολασμένος ἦν, καὶ τοῦτον ἀφῆκεν. καίτοι ἔγωγ' ᾤμην δεῖν τὸν νομοθετοῦντα περὶ τῶν μελλόντων ἔσεσθαι, οἷα δεῖ γίγνεσθαι καὶ ὡς ἕκαστα ἔχειν καὶ τὰς τιμωρίας ὁποίας τινὰς ἐφ' ἑκάστοις δεῖ τοῖς ἀδικήμασιν εἶναι, περὶ τούτων νομοθετεῖν.

§ 119. (τὸν δεσμὸν ἀφιείς) τοῖς κλέπταις, τοῖς ἱεροσύλοις, τοῖς πατραλοίαις, τοῖς ἀνδροφόνοις, τοῖς ἀστρατεύτοις, τοῖς λείπουσι τὰς τάξεις.

§ 122. οὗτος γάρ, ὦ ἄ. δ., τοῖς μὲν τὰ τέλη ὠνουμένοις ἔγραψε τὰς τιμωρίας εἶναι, εἰ μὴ καταβάλοιεν τὰ χρήματα, κατὰ τοὺς νόμους τοὺς προτέρους, ἐν οἷς καὶ ὁ δεσμὸς καὶ ἡ διπλασία γέγραπται ἀνθρώποις, οἳ διὰ τὸ ζημιοῦσθαι ἐπὶ τῇ ὠνῇ ἄκοντες ἔμελλον τὴν πόλιν ἀδικήσειν· τοῖς δ' ὑφαιρουμένοις τὰ τῆς πόλεως καὶ ἱεροσυλοῦσι τὰ τῆς θεοῦ τὸν δεσμὸν ἀφεῖλεν. καὶ εἰ μὲν ἐλάττω τούτους ἄλλων πολιτῶν, ... μηδένα πώποτ' ἐλεῆσαι.

§ 106. Ὅμοιός γε, ὦ ἄ. Ἀ., Σόλων νομοθέτης καὶ Τιμοκράτης (cf. § 103 Σόλων οὐδὲν ὅμοιος ὢν τούτῳ νομοθέτης). ὁ μέν γε ..... ὁ δὲ καὶ τοῖς γεγενημένοις πονηροῖς, ὅπως μὴ δώσουσι δίκην, ὁδὸν δείκνυσι, καὶ τοῖς οὖσιν ὅπως ἄδεια γενήσεται κακουργεῖν εὑρίσκει καὶ τοῖς μέλλουσιν ἔσεσθαι, τοὺς .... πονηρούς, ὅπως ἔσονται σῶοι καὶ μηδὲν πείσονται, παρασκευάζων.

§ 103. λεγόντων γὰρ τῶν νόμων ..... ἐάν τις ἁλῷ κλοπῆς καὶ μὴ τιμηθῇ θανάτου, προστιμᾶν αὐτῷ δεσμόν. recitari iubet legem integram § 105.

§ 73. περὶ μὲν δὴ τῶν μελλόντων εἴ τι δίκαιον ἔπεισεν ὑμᾶς, οὐκ ἂν ἠδίκει· περὶ δ' ὧν δικαστήριον ἔγνωκε καὶ τέλος ἔσχηκε, πῶς οὐ δεινὰ ποιεῖ νόμον εἰσφέρων δι' οὗ ταῦτα λυθήσεται; 194 (οὐ) διδάξει ὡς ἔστι δίκαιον τὸν τιθέντα νόμον ταὐτὰ προστάξαι περὶ τῶν παρεληλυθότων καὶ πρότερον τέλος ἐσχηκότων ποιεῖν καὶ περὶ τῶν μελλόντων γενήσεσθαι.

§ 102. τοῖς κακούργοις καὶ τοῖς πατραλοίαις καὶ τοῖς ἀστρατεύτοις βοηθοῦντα τέθεικε τὸν νόμον. cf. § 107.

§ 60. καὶ μὴν οὐδ' ἐκεῖνο γ' ἂν εἴποις, ὡς ὅσοις δεσμοῦ προστιμᾶται, τούτων μάλιστα ἢ τὰ μέγιστ' ἀδικοῦσιν οἱ τελῶναι, ὥστε μόνοις αὐτοῖς μὴ μεταδοῦναι τοῦ νόμου. πολὺ γὰρ δήπου μᾶλλον οἱ προδιδόντες .... ἀδικοῦσιν. ..... ἀλλ' ἐνταῦθα πάλιν καταμηνύεις ὑπὲρ ὧν ἐτίθεις· διὰ γὰρ τὸ μὴ τελωνήσαντας ὀφείλειν αὐτοὺς ἀλλὰ κλέψαντας, μᾶλλον δ' ἁρπάσαντας τὰ χρήματα, διὰ τοῦτ' οὐκ



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ἀδικεῖν ἐκείνων νομίσαι φήσεις, ἀνάγκη μαίνεσθαί σε ὁμολογεῖν, εἰ δὲ μείζω νομίζων, ὥσπερ ἔστιν, ἐκεῖνα τἀδικήματα τοὺς μὲν ἀφίεις τοὺς δὲ μή, οὐκ ἤδη δῆλος εἶ πεπρακὼς τὸ πρᾶγμα τούτοις;

ἐφρόντισας, οἶμαι, τῶν τελωνῶν. De lucri cupiditate et venali Timocratis ingenio § 195.

Jam adparet has paragraphos spurias esse et conflatas ex locis demosthenicis, cum credi vix possit Demosthenem quae iam dixerat iteravisse et ut ita dicam recoxisse. sed commoror adhuc diligentius in his paragraphis. nam praeter hiatus frequentationem et illas sive verborum sive sententiarum repetitiones etiam alia quaedam insunt quae suspitionem movere possint: quae mihi videntur commemoranda esse. § 112 duo hominum genera distinguuntur: cum furti utrique accusantur, alteris lex timocratea ita succurrit ut iudicium omnino effugiant, alteris autem non est praesidio. illi sunt legati (sc. Androtion Glaucetes Melanopus) homines ditissimi, quibus cum per longum tempus pecunias publicas suppressas habuerint, ne quid mali inde nascatur, Timocrates praecavit. his adnumerantur custos nundinarum (ἀγορανόμος) et aedilis (ἀστυνόμος) et siquis per tribus iudex est constitutus, qui multarum rerum ignari errore quodam facile eo possunt adduci ut in furti crimen incidant. eis autem Timocrates nihil prospexit. talia § 112 exposita sunt. quid vero? haec nonne pugnant cum eis quae § 102 sqq. Demosthenes e lege timocratea apte concludi dixit? dixit autem eius legis beneficium et ad fures et ad parentum contemptores et ad militiae detrectatae reos pertinere. concedo quidem aliquid interesse inter hunc locum et illum: illic enim de carceris poena, hic de multa duplicata agitur. at eum qui § 82 sqq. dupli multam a Timocrate sublatam esse ostendit atque § 102 illius legem in furibus omnibus adhiberi posse dixit, eum putas subito sententiam mutasse et dupli poenam in minorum gentium furibus relictam, remissam depeculatoribus pronuntiasse? minime vero. nam quod est in proverbio „dare veniam corvis, vexare censuram columbas“, non quadrat in ea quae in prima orationis parte de lege Timocratis orator statuit. accedit quod aliis locis (e. c. § 60) publicanis misericordiam benevolentiamque iudicum studet concitare, non aedilibus neque nundinarum custodibus. — Quoniam modo de publicanis locutus sum, consideres quaeso, quam nugatorio exordio is qui haec scripsit utatur § 122 ad sententiam simplicem aperiendam et iam antea commemoratam. dixit enim: βούλομαι δ' ὑμῖν, ὃ μεταξὺ λέγων περὶ τούτων ἐνεθυμήθην, εἰπεῖν περὶ οὗ τέθεικε νόμου, παράδοξόν τι, θαυμαστὸν ἡλίκον. parturiunt montes. quid praeter expectationem dicetur? quid tam mirum videtur quod hoc praeconio magnifico ac superbo dignum sit? videsne ridiculum murem nascentem? repetitur enim quod iam § 60 orator exposuerat de publicanis et furibus. et quod additur Timocratem videri venalem esse, id Demosthenes § 195 sqq. ex caussa longe diversa repetit et modo longe diverso declarat. unde patet, si non omnia alia, at certe hanc paragraphum alienissimam esse a tota oratione. — Denique si §§ 123. 124 consideramus,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

potius locum quendam communem de oratorum divitias captantium et plebem contemnentium superbia invenimus quam enuntiatum ad Timocratem eiusque caussam adaptatum.

Procedo ad paragraphos 125 154, in quibus quod nimia hiatuum copia adest, Benselerus, ut supra dixi, reprehendit. alia tamen argumenta, quibus hanc partem subditiciam esse insuper doceretur, non attulit. sed inveniuntur. Glaucetes enim qui § 128 maledictis figitur, belli peloponnesii tempore, cum Decelea ab Lacedaemoniis munita esset, fertur in hanc urbem transfugisse. cum vero caussa timocratea anno ol. 106, 4 (a. Chr. 352) acta sit, Decelea a Lacedaemoniis occupata sit a. ol. 91, 3 (a. Chr. 413), integri anni sexaginta unus inter illam et hanc rem interpositi sunt. nolo interrogare, cum ex Lycurgi oratione leocratea sciamus (§ 120) eos qui Deceleam se contulerant, ab Atheniensibus supplicio adfectos esse, qui factum sit, ut Glaucetes etiam tum vita frueretur et spiraret. sed hoc solum quaero, num sit credibile oratorem audientium animos ad tempora prisca iamque diu praeterita revocasse indeque criminationes suas repetiisse? iudices certe res minutas ac leves quae ante sexaginta annos gestae erant, si omnino sciebant, fama tantum et auditione acceperant neque spes erat fore ut eis exacerbarentur et ad odium inflammarentur. accedit quod si essent haec ad eundem Glauceten referenda, eum deberemus octoginta plus annos natum ac paene nonagenarium putare (scholiasta ad h. l. δεῖ νοῆσαι, inquit, τοῦτον πάνυ γεραίτατον). quo senio confectum hominem legatum ad Maussolum missum esse vix possum credere. adde quod temporibus belli peloponnesii Glaucetes quidam commemoratur qui ab Aristophane (in Pace 1008 et in Thesmoph. 1033) cupediae caussa perstringitur. quodsi temporum rationem solam spectas, in hunc illa decelica res quadrat. atque omnia si mecum considero, eo opinio inclinat, ut in his verbis docti alicuius recordationem potius quam Demosthenis verba adgnoscam. — Breviter tantum attingo quae § 130 de pecuniis sacris et profanis dicta sunt. cum enim antea semper τὰ ἱερὰ καὶ τὰ ὅσια χρήματα dicat, quorum illa decemplicata, haec duplicata reddenda sunt, h. l. τῆς διπλασίας τῶν ὁσίων χρημάτων quidem mentionem inicit, neque vero de decemplicata pecunia sacra loquitur, sed illis ἐκ παραλλήλου ponit decumas Minervae (τῶν δεκατῶν τῆς θεοῦ). neque magis criminari volo, eorum quae § 131 — 138 adferuntur exemplorum conplura ad legem timocrateam inpugnandam accommodata non esse. nam qui homines, quamquam et civitati multum profuerunt et magnam civium benevolentiam in se adsciverunt, tamen cum scelus aliquod commisisse viderentur, in vincula coniecti ibique per longum tempus commorati esse narrantur, ei non omnes ideo retinebantur quod aerario debebant sed ne clam ex Attica aufugerent. at cum Demosthenes § 102 sqq. loquatur de hominibus quibus item nullum sit cum lege timocratea commercium, hoc sciens praetermitto. item praetermitto, quod quae de Locris eorumque in legibus ferendis continentia narrantur, cum lege timocratea nullo vinculo conexa sunt sed generali quadam de oratorum libidine et arbitrio querella terminantur. sed in sequentibus diutius commorabor. § enim 144 sqq. ius iurandum senatorium adfertur quo senatores ne quem civium vinculis tradant adstringuntur. hoc Timocratem se

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tueri non posse demonstratur. nam iudicum rationem prorsus diversam esse ab senatore, iudicibus licere decernere ὅ τι χρὴ παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι, itaque etiam penes eos esse, utrum carceris poenam alicui velint irrogare necne. id pluribus explanatur, et ut logice loquar demonstratione indirecta efficitur. quid? haec nonne contraria sunt illi rationi qua supra Demosthenes rem repraesentaverat? nonne haec demonstratio nascitur ex iudicandi sentiendique ratione diversa ab Demosthenis iudicio et cogitatione? quod ut intellegamus, adcuratius in rem inquiramus. supra enim Demosthenes nusquam addubitat num per legem timocrateam iudicibus liceat carceris poenam alicui irrogare. immo semper pro certo sumit, esse iudicibus carceris irrogandi potestatem. sed illud identidem Timocrati vitio vertit, quod lege sua effecerit ut poena illa ab condemnatis sumi non possit. „debebat omnino iudices vetare carceris poenam alicui constituere, sed sustulit ille poenam iam constitutam (§ 77). a iudicio, in quo carceris poena irrogata est, subito ad populi contionem transgressus, non edixit, quid reo faciendum esset intra tempus quod inter iudicium et contionem medium interpositum est (§ 80). non per se vincula turpia existimavit, sed huius poenae nomen quidem reliquit, inpedivit quo minus usurparetur (§ 87). iubet iudices carcerem irrogare, sed has iudicum sententias inritas fecit atque inpedivit quo minus secundum eas in condemnatos ageretur (§ 90 προστιμᾷν κελεύων τοὺς δικαστὰς τοὺς ὀμωμοκότας ἄκυρα τὰ προστιμήματα ποιεῖ). haec cum sentiat Demosthenes, nusquam dixit Timocratem voluisse lege sua iudicibus carceris irrogandi potestatem adimere. itaque ut ad nostrum locum redeam, manifesto iam adparet non adesse eandem iudicandi sentiendique rationem. quorsum enim spectat omnis haec demonstratio qua docetur iudicibus licere custodiae aliquem tradere, nisi ad opinionem contrariam refellendam? adversarius enim aliquis fingitur qui iudices hac facultate carere contendat. quam ob caussam paragraphis 144—154 Timocratem refutari eo minus credere possum quo magis illius nomen evitari, quin immo prorsus abesse video. ceterum in ipsa ratiocinatione inest quod iure mireris. id iam animadvertit scholiasta R Y qui suspitionem suam reprimere non potuit: ἔστι δὲ καὶ ἀπὸ τῶν λύσεων διαφόρως ἐχουσῶν ἄλλως ὑποπτεῦσαι τὸ προκείμενον· πῇ μὲν γὰρ λέγει τοῦτο γεγράφθαι περὶ τῶν μηδέπω ἠγωνισμένων ἀλλ' οὐ περὶ τῶν κεκριμένων, πῇ δὲ ὅτι τῆς βουλῆς ὅρκος ἐστίν.

Quae deinde sequuntur § 155—159, quamquam minus hiatibus scatent neque ego habeo quod singillatim reprehendam, tamen quia inter ea quae subditicia esse manifesto adparet interposita et orationis quadam perpetuitate cum eis coniuncta sunt, ex oratione nostra erunt segreganda. sed quae haec excipiunt § 160—186 eisdem fere verbis leguntur in oratione androtionea § 47—78. (paucae paragraphi exceptae sunt 169. 170. 171. 175, quarum tamen in duabus in brevius redacta inveniuntur quae in androtionea fusius dicta sunt). de hac re alii aliter iudicaverunt. primus Westermannus (in quaest. demosth. p. 127—166) adcuratius in repetitiones quae vocantur apud Demosthenem obvias inquisivit et re diligenter examinata perpaucas easque sententiarum magis quam verborum inveniri

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

contendit: „ac licet quaedam etiam ad verbum repetita invenias, haec invito paene ac memoriter tenenti, quae in simili caussa ante dixerat, exciderunt.“ hoc quamquam invenit, tamen dubitanter tantum de loco nostro iudicat et Demosthenem a Diodoro iussum ex androtionea verba sua repetiisse arbitratur: „immo, inquit, ipsam quoque demere audeo quam modo ex timocratea attuli repetitionem androtioneam. quod licet alicui audacter magis quam recte factum videatur, rogo tamen ut reputet, quam temere orator tanti ambitus locum ex prius dicta oratione transcripsisset, nisi id rogatu Diodori .... fecisset.“ quod Westermannus non fecit, fecit Benselerus, qui repetitionem illam tantum afuit ut excusare conaretur, ut omnino ferri posse negaret. „quis non aegre feret scriptorem, qui alterius orationis magnas partes in altera repetit et auditores tam parvi aestimat ut eadem eorum auribus iterum iterumque inculcanda curet?“ et contra Taylorum et Funkhaenelium disputans addit: „quis hodie quoque non offenderet, si nostrorum oratorum quis orationes publice ederet, quarum ex altera magna pars in altera eisdem verbis esset repetita?“ Benselero ego prorsus adsentior quamvis ASchaeferus per se repetitionem tolerari posse contendat. — Ceterum in ipsis quoque verbis insunt quae offensionem praebeant. in verbis quibus § 187 haec pars ex androtionea repetita reliquae orationi adnectitur, iam HWolfius offendit. idque et Benselerus p. 126 et ASchaeferus (addit. p. 63) satis exagitaverunt. praeterea offendendum esse mihi videtur in § 175, ubi subito a Timocrate et Androtione oratio se vertit ad tres legatos, qui, quod insuper notandum est, non ita significantur ut de eis necessario cogites. nam verba δόξετ' ὀργιζόμενοι κατεγνωκέναι τὰ χρήματα τούτων οὐκ ἀδικούμενοι, non possum non referre ad contionem quae § 12 sq. describitur. in qua Athenienses pecuniae naucraticae solutionem tribus legatis imperaverunt. alias rationes quae istam longam de Androtione et pecuniarum exactione disputationem nequaquam hic aptam esse doceant, invenies apud Benselerum p. 126 et ASchaeferum l. l. p. 63. 64 inf.

Sed restant adhuc duae rationes, quae universam harum paragraphorum naturam existimanti sese offerunt. quarum alteram ASchaeferus attulit, altera mihi videtur addenda esse. Schaeferus igitur, ab eo quod in oratione nostra Demostheni propositum est, inquit, summo opere est alienum, quod inde ab § 110 usque ad 187 med. tamquam primarum partium actores Androtion eiusque in legatione collegae introducuntur. nam quamdiu illi pecunia debita non soluta id agere videbantur, ut ex lege timocratea lucrum suum facerent, tam diu aequum iustumque erat oratorem in eos in primis invehi eosque maledictis ac conviciis sectari. sed aliter hoc se habebat, ex quo solutionem explicaverant (et explicasse eos antequam caussa in iudicium veniret supra monui). hac enim re conviciorum illorum vis infringebatur et ad irritum cadebat; quare ne derisui esset orator, illa omittere debebat et alio transferre criminationum suarum venenum. in unum Timocratem se convertere debebat, in quem quae instituta erat γραφὴ παρανόμων illa pecuniae solutione non impediebatur aut retardabatur. haec ille hactenus. atque hoc modo si rem ponderare velimus, magnum sane discrimen inter § 110—187 et omnes alias orationis partes intercedere videmus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

per § 1—109 itemque 187—218 in Timocratem potissimum pugnatur neque Androtionis nisi breviter et obiter mentio inicitur. contra per § 110—187 Androtionis omnia plena sunt. ubique de eius iniuriis deque poena ei subeunda dicitur. quid quod in eadem vectigalium exactione enarrata § 160 sqq. Androtion primas agit partes, Timocrate usus ministro et adiutore, § 197 vero Timocrates negotio praeest ab Androtione famulo adiutus?

Alterum argumentum petierim ex arte rhetorica. constat enim omnem orationem in quinque partes dividi: prooemium narrationem probationem refutationem perorationem. iam habes pooemium § 1—5, narrationis loco παραδιήγησιν et κατάστασιν § 6—16, probationem § 17—109, refutationem § 187—193, perorationem § 194 usque ad finem. quid igitur pars quae interposita est inde ab § 110—187, quid, inquam, haec pars sibi vult? monstruosam reddit totam orationis conformationem eique quasi ulcus foedum et taetrum addit. sed priusquam eam condemnamus, recenseamus quid commentatores iudicaverint. ac scholiastae, quorum in hac oratione non spernendae sunt explicationes rhetoricae, prae dubitatione nesciunt paene quo se vertant. scholiasta R. Y inde ab § 111 ἀντίθεσιν, i. e. contradictionem adversarii quandam incipere dicit, quae tamen non satis enucleata sit. et sibi ipsi se diffidere satis ille significat cum dicat (734, 5): θαύμασον δὲ τὴν μεταχείρισιν ὅτι πρὸ τῆς θέσεως ἡ λύσις, καὶ συμπέπλεκται τῇ ἀντιθέσει τὸ ἐναντίωμα et paullo post: θαυμαστῆς δὲ οὔσης τῆς κατὰ τὴν ἀντίθεσιν μεθόδου, ἔτι θαυμασιωτέρα ἡ κατὰ τὴν λύσιν μέθοδος. contra scholiasta Σ ad § 110 adnotat: ἄλλο εἶδος ἐπιλόγου. Menander denique, commentator quidam nescio cuius aetatis, in oratione timocratea duas caussas tractari videtur iudicasse, alteram autem incepisse ab § 111. nam ad 734, 28 legitur: τὴν καταδρομὴν τῶν περὶ τὸν Ἀνδροτίωνα, ἣν ἔφησεν ὁ Μένανδρος δευτέραν εἶναι ὑπόθεσιν. eadem sententia invenitur etiam in argumenti secundi graece scripti parte media[1]). nam qui hanc interpolavit, distinguit duos status caussae sive graeco mavis nomine duas ὑποθέσεις (cf. Volkmann, Hermag. § 4): διὰ ταῦτα γοῦν καὶ αἱ ὑποθέσεις τοῦ λόγου δύο, μία μὲν ὅτι διὰ τοὺς πρέσβεις γέγραπται, ἑτέρα δὲ ὅτι ὑπεναντίος τοῖς νόμοις καὶ ἐπιζήμιος καὶ ἄδικος ..... ἡ μὲν οὖν ὑπόθεσις τῆς αἰτίας, δι' ἣν ἔθηκε τὸν νόμον, στοχαστική. ζητεῖται γὰρ εἰ διὰ τοὺς πρέσβεις ἔθηκεν ἢ οὔ· ἡ δὲ κατὰ τὸν νόμον πραγματική. idem denique Volkmannus videtur significare (§ 36 p. 230). quae Menandri sententia cum speciem veri habeat, longiorem requirit disputationem. ut ab Cicerone proficiscar, hic (de inventione I § 10) quid sit στάσις στοχαστική definit: „cum facti controversia est, quoniam coniecturis caussa firmatur, constitutio coniecturalis adpellatur.“ tum igitur Demosthenes quaestionem proponeret, utrum pro Androtione legem Timocrates tulisset an alia caussa ductus? ac pro-

1) hoc alterum argumentum non est eiusdem auctoris, sed duos diversos auctores adgnoscere licet. cohaerent inter se haece: verba inde ab initio usque ad p. 697 med. ὅμως δ'οὖν κατέβαλον, quibus nectenda sunt verba p. 698 med. ἔστι τοίνυν τούτου τοῦ λόγου κεφάλαια τέσσαρα usque ad finem. quae media interiacent inde ab p. 697 med. κατηγορεῖ τοίνυν Εὐκτήμων καὶ usque ad p. 698 med. ἐν νόμῳ καὶ ἐν ψηφίσμασιν ab interpolatore quodam inserta sunt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

fecto si narrationem spectas quae § 11 — 16 legitur, id egisse videtur ut hanc suspitionem iudicibus moveret. itemque verbis primis § 110: πανταχόθεν μὲν τοίνυν δῆλός ἐσθ' ὅτι ταῦτ' ἔγραψεν ἐπιβουλεύσας καὶ μετὰ τοῦ βουλεύσασθαι ταῦτ' ἀδικεῖ, significare videtur novae argumentationis initium. at istiusmodi argumentationis ne vestigium quidem invenitur. confirmatur ista de consilio legis timocrateae coniectura nulla re et quod Cicero (de invent II § 16) statuit omnem coniecturam ex caussa, ex persona, ex facto ipso capiendam esse, harum rerum nihil reperies (cf. Volkmann § 34). omnino vero non potuit Demosthenes constitutione coniecturali uti. nam si istam coniecturam probare voluisset, ante omnia ei demonstrandum fuerat Androtionem legem timocrateam in usum suum adhibuisse; quae demonstratio, ex quo ille nomen solverat, non amplius potuit fieri. ex eo enim tempore res illa non amplius habuit in se positam ullam controversiam sed ad ἀσύστατον quod rhetores vocant, delapsa est (cf. Volkm. § 6). atque ubi solutio illa pecuniae commemoratur, § 187 rectissime scholiasta adnotat: τινὲς λέγουσιν ἐκ τούτου νομίζεσθαι τὸν λόγον ἀσύστατον. εἰ γὰρ ἐκτέτισται τὰ χρήματα καὶ ὁμολογεῖ καὶ ὁ Δημοσθένης ἐνταῦθα τοῦτο αὐτό, οὐκοῦν περιττῶς κατηγορεῖ. quare cum ad ἀσύστατον pervenire non liceat, de secunda constitutione sive ὑποθέσει cogitare nequimus.

Redeo ad scholiastas. laborant item in § 139 et cum a schol. B haec de Locris narratio παραδιήγησις dicatur, schol. A. C adnotat οἱ ἐπίλογοι et schol. Σ ἐπιλογικὸν παράδειγμα. in § 144 scholiasta R. Y novam quandam ἀντίθεσιν adgnoscit, schol. A — V (ad 746, 18) dicit ius iurandum heliasticum ἐν τοῖς ἐπιλόγοις positum esse. ne autem quid desit, de quo cogitari possit, etiam egressio (παρέκβασις) intruditur et toti parti ex androtionea adsumptae vindicatur ab scholiastis (ad 747, 20 et 749, 25). at si quae rhetores de digressione praecipiunt apud Volkmannum § 10 perlegeris, hanc partem digressionis naturam non ferre cognosces. ibi enim ante omnia brevis esse orator debet ac celeriter ad id quod sibi propositum habet redire. quin ipse Demosthenes qua ratione per digressionem tractandae sint res, quae de Androtione § 160 — 187 narrantur, praeclara digressione § 196 — 199 nos edocuit.

Haec si recte disputavi, paragraphi 110—187 etiam ab arte rhetorica repudiandae sunt. nam frustra laborabant scholiastae cui orationis parti eas adscriberent, frustraque tu quoque circumspicias in rhetorum libris quod nomen eis tribuas. ex oratione seiungi eas oportebit. —

Restat ut explicem quo modo haec omnia in textum demosthenicum pervenerint. ac Benselerus quidem in verbis a § 110 — 160 partem eius orationis esse servatam putat quam Euctemon in eadem hac caussa habuerit. opinatur enim aliquem ex tribus orationibus, ex Demosthenis timocratea Diodoro actori scripta, ex androtionea, ex Euctemonis oratione unam confecisse: a quo conpilatore nonnulla quae nexum et cohaerentiam efficiant, originem duxisse. hanc Benseleri sententiam maiores difficultates habere quam ut recta possit haberi ASchaeferus (addit p. 65) plane demonstravit. sed vereor ne ipsius Schaeferi sen-



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tentia artificiosius quam verius excogitata sit. is enim Demosthenem duas orationes conposuisse arbitratur, priorem, antequam Androtion pecuniam debitam in aerarium rettulerit; in hac eum non solum legem timocrateam ceteris legibus repugnantem et inutilem et rei publicae noxiam perstrinxisse, sed etiam Androtionem et eius collegas, quorum caussa lex lata esset, summo odio esse persecutum. sed cum Androtion solvisset neque amplius invectionibus peti posset, Demosthenes, inquit ille, orationem denuo pertractavit itaque inmutavit, ut huic statui rerum adaptata esset: ante omnia ea quae in Androtionem multis disputaverat seclusit. hanc alteram orationem adcurate elaboravit diligenterque expolivit atque eam voluit Diodorum ediscere et apud iudices dicere. ambae recensiones autem in unam quae hodie extat orationem coaluerunt; sive Diodorus ipse, odio in Androtionem motus, orationem tali modo auctam edidit, sive alius quis ne quid ex Demosthenis commentario periret, ex priore oratione quae omissa erant restituit. haec num vere a Schaefero dicta sint dubito. ac primum quidem Schaeferus credere videtur Demosthenem in priorem recensionem magnam illam partem ex androtionea ipsum transscripsisse. id quod eis de caussis quas p. 31 attuli mihi non potest persuaderi. tum fac omnia quae inde a § 110—160 leguntur in priore oratione extitisse. at in qua orationis parte putas ea scripta fuisse? pauca si exceperis, cetera omnia neque confirmationis neque confutationis naturam prae se ferunt, neque ex epilogo desumpta esse possunt, quoniam qui perorationis effectus esse debet, ut aut perturbentur animi aut tranquillentur et, si ita iam adfecti ante sint, ut augeat eorum motus aut sedet oratio, is nusquam in illis paragraphis cernitur. hoc denique moneo quod illic non nulla dicuntur quae a Demosthenis ratione iudicandi aliena esse et cum eis, quae aliis locis sentit de re proposita, pugnare videntur (vide supra p. 28. 30). his rationibus ego quidem permoveor ut hanc partem Demosthenis esse omnino negem. quid tum? interpolatam eam censebimus? existimo vero. a quo? aut ab aequali harum rerum aut ab homine aetatis haud multo inferioris, fortasse ab ipso Diodoro, qui cum aegre ferret, quod in oratione a Demosthene sibi tradita Androtion inimicissimus sibique infestissimus paene praetermitteretur, elucubravit suis viribus maledicta ac probra in Androtionem et ubi ingenio destitutus fuit, orationes, quas Demosthenes ei scripserat in Androtionem et Timocratem, transscribendo expilavit. certe ad tempus multo inferius interpolationes non rettulerim. — His interpolatis ASchaeferus factum esse putat ut quae Demosthenes adversus Timocratis patronos (συνηγόρους) dixerat, omitterentur. quam opinionem ita conprobo ut non quae Demosthenes in patronos dixerat sed quae confutationis partem priorem efficiebant omissa esse statuam. nam quae nunc est confutatio, § 187—193 conplexa, si cum reliqua oratione conparatur, nimis brevis mihi videtur. —

Unam rem facere non possum quin addam. quae enim laudes et antiquis temporibus et nostra memoria orationi timocrateae tributae sunt, eas si argumentorum a Demosthene prolatorum vim atque gravitatem spectas, non nihil debere inminui et extenuari pro certo habeo. inde etiam de actionis eventu coniecturam facere licebit. de quo certi nihil me-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

moriae proditum est. nam Demosthenes ipse in fine orationis metuere videtur, ne iudices clementius quam ipse iustum putat, de Timocrate iudicaturi sint. at mihi contra Demosthenes furere videtur et poenam nimis gravem ac duram flagitare, si morte adfici Timocratem vult eiusque supplicio severitatis exemplum edi. immo argumentorum infirmitas me movet ut iudices omnibus aeque et iuste perpensis levem tantum poenam ab Timocrate sumpsisse arbitrer.

## II.

Cum paginarum numerum opinione mea magis adcrevisse videam, non omnes quos initio volueram emendationum conatus proferam, sed paucos locos et eos quidem ex orationibus timocratea et androtionea elegi de quibus disputarem.

Androt. 23. Demosthenes invidiam et odium Androtioni propterea vult movere, quod corpore quaestum fecerit turpem et infamem. quam rem simulat se probare posse non quidem indiciis aut probabilibus rationibus, sed cui fidem multo maiorem iudices possint habere, scripto quodam testimonio. ἡμεῖς τοίνυν οὐκ ἐκ λόγων εἰκότων οὐδὲ τεκμηρίων, ἀλλὰ παρ' οὗ μάλιστα δίκην ἔστι λαβεῖν τούτῳ, ταῦτ' ἐπιδείκνυμεν, ἄνδρα παρεσχηκότα γραμματεῖον, ἐν ᾧ τὰ τούτῳ βεβιωμένα ἔνεστιν, ὃς αὑτὸν ὑπεύθυνον ποιήσας μαρτυρεῖ ταῦτα. in huius sententiae constructione homines docti iure suo offenderunt et alii aliter sanare eam studuerunt. nam constructio quae principio invenitur, ταῦτ' ἐπιδείκνυμεν οὐκ ἐκ λόγων, ἀλλὰ παρ' οὗ κτλ, non congruit cum sequentibus ἄνδρα παρεσχηκότα κτλ. putamus potius sententiam sic fere continuandam esse: ἀλλ' ἐξ ἀνδρὸς παρεσχηκότος vel ἀνδρὶ παρεσχηκότι vel simili quovis modo. ac profecto Seagerius (ap. Dindorfium ad h. l.) sic scribere voluit. „mallem, inquit, ἀνδρὶ παρεσχηκότι cum lectione quae in veteribus quibusdam codicibus conparet, videlicet: ἡμεῖς τοίνυν οὐκ ἐκ λόγων εἰκότων οὐδὲ τεκμηρίων, ἀλλὰ παρ' οὗ μάλιστα δίκην ἔστι λαβεῖν, τούτῳ ταῦτ' ἐπιδείκνυμεν, ἀνδρὶ κτλ.“ Bekkerus contra genetivum introducens coniecit ἀνδρὸς παρεσχηκότος. sed has scripturas genuinas esse ut negem, movet me quod neque Seagerius neque Bekkerus explicavit, qua ratione vitiosus ille accusativus potuerit in textum inrepere itaque considere ut ne in uno quidem libro manu scripto verae lectionis vestigium adhuc sit reliquum. tum vero dativus quem Seagerius praefert, vix ferri posse mihi videtur, et Demosthenem arbitror, si uti voluisset dativo instrumentali, non ἀνδρὶ παρεσχηκότι γραμματεῖον, sed multo magis γραμματείῳ παρεσχημένῳ ὑπ' ἀνδρός τινος scripturum fuisse. genetivum autem a Bekkero praeoptatum nimis durum crediderim. nam si eum putas pendere ex παρά praepositione quae ante sententiam relativam legitur παρ' οὗ κτέ, eiusdem praepositionis repetitione aegre caremus; sin autem eum dicis esse genetivum quem vocant absolutum, transitus qui a praepositionibus ad hanc absolutam constructionem fit, meo iudicio durior est quam qui possit admitti. vix enim dicas: „non indiciis neque rationibus, sed re, per quam cum maxime licet supplicium sumere, illud probamus, viro quodam scriptum testimonium offerente.“ quae si recte disputavi, has



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

scripturae mutationes abiciemus. priusquam autem ad aliam emendationem transeo, GHSchaeferus audiendus est qui h. l. coniecturam opus esse negat. sic enim scribit: „videndum tamen ne hoc pacto non librarios, sed ipsum scriptorem corrigamus, qui fortasse haec verba, cum referre deberet ad παρ' οὗ, rettulit ad verbum proxime antecedens ἐπιδείκνυμεν: cuiusmodi inflexiones constructionis notandae, non corrigendae videntur.“ in hanc sententiam GDindorfius videtur discessisse. attamen ut taceam, quam dura ac molesta sit constructionis subita mutatio, certe sententia quae tum subest verbis, sana non est. atque hoc Sauppius sensit in editione turicensi, cum dicat brevi adnotatione quae tamen ipsa brevitate loquatur: „malim ταῦτ' abesse“. nam his tribus verbis omnia dixit quae apta sint ad illam constructionis inflexionem refellendam. quamdiu enim ταῦτ' vocabulum remanet integrum, nullo modo scriptor ἄνδρα ad ἐπιδείκνυμεν referre potuit. nam ταῦτ' ἐπιδείκνυμεν significat: „firmamus eum corpore quaestum fecisse“, ἄνδρα ἐπιδείκνυμεν vero significaret: „hominem quendam damus testem“. quare tantum abest ut illa constructionis inflexione locum interpretemur, ut aliud circumspiciendum nobis videatur. nam eam vocem simpliciter expungere idcirco non licet quod difficile esset ad explicandum, qua ratione factum esset ut in omnibus libris legeretur. atque equidem verbum aliquod excidisse crediderim, cuius litterae initiales ita conspiraverint cum alio vocabulo ut aberrandi occasio librarii oculis facile potuerit praeberi. scripserim: ἀλλὰ παρ' οὗ μάλιστα δίκην ἔστι λαβεῖν τούτῳ, ταῦτ' ἐπιδείκνυμεν, ἄνδρα παρεχόμενοι παρεσχηκότα γραμματεῖον κτέ. „illud ea re probamus qua cum maxime fieri potest ut poena ab eo sumatur, hominem proferentes qui scriptum testimonium dedit“. (similiter iam Lambinus ἄνδρα παρέχοντες ἔχοντα γραμματεῖον.) participium addidi eiusdem verbi quod in antecedentibus invenitur: ἔστι τοίνυν ἀνάγκη τοὺς ἐλέγχοντας ἢ τεκμήρια δεικνύναι ..., ἢ τὰ εἰκότα φράζειν, ἢ μάρτυρας παρέχεσθαι. simili errore § 20 αὐτήν vocabulum videtur in libris omissum esse, si quidem Schaeferus, id quod mihi quidem persuasit, recte coniecit scribendum esse: ἀνελοῦσα γὰρ ἡ βουλὴ τὸν νόμον τοῦτον ἐχειροτόνησεν αὐτὴ αὐτήν. — Ceterum nescio an Seagerius rectius quam supra feci interpunxerit commate post λαβεῖν posito et τούτῳ ad verba sequentia ταῦτ' ἐπιδείκνυμεν relato.

Androt. 33. orator exponit Androtioni non licere neque verba facere ad populum neque quicquam rogare. hoc colligit ex duabus legibus, quarum prior eum qui corpore quaestum fecerit, vetat in foro versari aut verba ad populum facere aut leges ferre. hanc legem ne Androtion subterfugiat, longa argumentatione praecavere studet (21—32). tum adfert alteram legem quae eadem infamia eum adficit qui pecuniam quam sive ipse sive pater aerario debeat non solverit (33—34). περὶ μὲν τοίνυν τοῦ νόμου, καθ' ὃν ὠφληκότος αὐτοῦ τοῦ πατρὸς τῷ δημοσίῳ χρήματα καὶ οὐκ ἐκτετικότος οὐκ ἔξεστι λέγειν οὐδὲ γράφειν τούτῳ, ταῦτα δίκαια λέγειν ἂν ἔχοιτε εἰκότως, ἐὰν φῇ δεῖν ἡμᾶς ἐνδεικνύναι. scribendum puto ταὐτὰ δίκαια λέγειν ἂν ἔχοιτε pro ταῦτα. censeo enim, has easdem iuris rationes, quibus iudices uti posse dicit, pertinere ad totam quae praecedit argumentationem (21—32).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

primum enim exponit ibi, licere sibi de corporis quaestu loqui, quamquam hoc crimen in actione legis violatae quam instituerit, non sit positum; nam Solonem multas accusandi vias accusatoribus patefecisse. hic dicit eodem iure se posse de debitore publico loqui. deinde ibi pollicetur se peculiarem ἑταιρήσεως actionem instituturum esse, hic, actione peculiari se postea probaturum esse Androtionem aerario debere. denique ibi postulat ut Androtion se corporis quaestum non fecisse argumentis probet, hic ut doceat, se aerario non debere. itaque hanc de debitoribus publicis legem, cum adsciscat orator ad Androtionem exagitandum, ad similitudinem accedere significat illius quam modo fusius et adcuratius persecutus est de corporis quaestu legis. quam ob rem ταὐτά scribendum. et hac levi correctione opus esse inde etiam elucet quod ταῦτα interpretari homines docti frustra laborant. ambigunt enim utrum pertineat ad sequentia, quae est HWolfii sententia, an ad praegressa, ut Funkhaenelius arbitratur. neutra ratione huic loco satis fieri puto. vertas enim cum HWolfio: „sic ei respondere poteritis, si dicet nomen suum a nobis fuisse deferendum: tum nos id esse facturos etc.“ quid? solumne hoc putas posse responderi ad ea, quae Androtion proferat ut legem de publicis debitoribus eludat? nonne omnia alia quae sequuntur contra eum dicuntur? accedit quod orator, si hoc voluisset dicere, scripturus fuisset ταῦτα τὰ δίκαια. videamus nunc quid Funkhaenelius iudicet. „mihi, inquit, ταῦτα potius ad praegressa pertinere videtur, ut significet illud ipsum οὐκ ἐξεῖναι λέγειν οὐδὲ γράφειν αὐτῷ. sententia haec est: cum Androtion pecuniam quam pater aerario debet, non solverit, neque verba facere coram populo neque quicquam rogare ei licet. quare si ἔνδειξιν contra ipsum instituendam esse contenderit, illam de publicis debitoribus legem in animum ei revocate. illud enim quod postulat, iusto tempore faciemus; sed nunc propter aliam caussam in iudicium deducitur. quare non solum illicitam in accusatione viam non ingressi sumus, sed ostendimus etiam ex illa lege ius populum adeundi ei esse ademptum.“ ex his quae transscripsi, adparet Funkhaenelium ordinem sententiarum parum intellexisse. perrexit enim Demosthenes ad alteram legem quae est de publicis debitoribus per quam Androtioni non liceret quicquam rogare. „at hac lege, inquiet ille, nunc adversus me uti vobis non licet, nam agitis γραφὴν παρανόμων; quodsi vultis eam legem contra me adferre, alia actio vobis instituenda est, ἔνδειξις quae vocatur.“ quid tum iudices respondere putas? stulti profecto essent, si ut Funkhaenelius vult „illam de publicis debitoribus legem ei in animum revocarent.“ id potius agent ut doceant se non iniuste illa lege uti. idque eadem ratione docebunt qua Demosthenes § 21 sqq. copiosissime (quamquam sophistice) exposuerat se iure suo legem quae est de corporis quaestu adscivisse.

Androt. 69. nescio an ἐν praepositio mutanda sit in ἐφ' hisce verbis: ὥστε ἥκιστα ἐν οἷς ἀκηκόατε ἄξιός ἐστι μισεῖσθαι. nam constructionem μισεῖν τινα ἔν τινι aut similem huius praepositionis usum me apud Demosthenem non memini invenisse. alterius autem praepositionis usus cum satis constet non videtur exemplis firmandus esse.

Timocr. 8. ἰδὼν δ' ἠδικηκότα κοινῇ πᾶσαν τὴν πόλιν .... καὶ χρήματα πολλὰ τῆς

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

θεοῦ καὶ τῶν ἐπωνύμων καὶ τῆς πόλεως ἔχοντα καὶ οὐκ ἀποδιδόντα κτλ. aperte distinguuntur hoc loco pecunia Minervae, pecunia Eponymorum, pecunia rei publicae. sed quid Eponymis eorumque pecuniae faciam, prorsus ignoro, neque in his tenebris menti meae clarum aliquod lumen ab ullo scholiasta aut interprete praeferri video, quemadmodum persaepe commentatores eos locos qui vix indigent interpretatione, multis verbis explicant, abstinent vero eis, quibus si cuiquam explicatione quam maxime opus sit. adscribo scholiastae verba: ἡ γὰρ πόλις ἐλάμβανε τὸ διπλοῦν, ἡ δὲ Ἀθηνᾶ τὸ δέκατον, οἱ δὲ ἐπώνυμοι τὸ πεντηκοστὸν — ἐπώνυμοι δὲ ἐκαλοῦντό τινες ἀνδριάντες ἡρώων, ἐξ ὧν ἐκαλοῦντο καὶ αἱ δέκα φυλαὶ ἐπ' ὀνόματι τούτων —, εἰς ἰδίας τινὰς θυσίας. haec vero sunt satis obscura. nam primum quidem nescitur quam pecuniam res publica duplicatam aut cuius pecuniae Minerva decimam Eponymi quinquagesimam partem acceperint. tum vero etiam propterea haec inter se non cohaerent, quod eadem summa simul et multiplicari et dividi videtur. itaque ut hac saltem ratione res sibi constaret, Sauppius (ed. turic. II p. 112) pro τὸ διπλοῦν proposuit τὸ δίμοιρον. at hoc si substituere voluerimus, computum non stare reperiemus: nam ex partibus duabus, decima, quinquagesima numquam totum aliquod conficietur. immo διπλοῦν verbum ad id quod aliunde constat, animos nostros videtur referre: ea enim pecunia quae e multis e praeda e bonis publicatis redibat, certis quibusdam conditionibus duplicata in aerarium publicum referri debebat. idque scholiasta διπλοῦν verbo significasse videtur. contra δέκατον et πεντηκοστόν verba alio modo interpretanda sunt. cogitandum enim est de sacra quae vocabatur pecunia (τὰ ἱερὰ χρήματα), quae partim Minervae, partim aliorum deorum aerario addebatur. illa erat saepe decima, haec quinquagesima totius summae pars. atque omnis quidem sacra pecunia eisdem illis conditionibus decemplicata redibat. iam vero sacra pecunia decumam Minervae et quinquagesimam aliorum deorum conprehendi, ex oratione hac § 120 cognoscimus (τὰ ἱερά, τὰς δεκάτας τῆς θεοῦ καὶ τὰς πεντηκοστὰς τῶν ἄλλων θεῶν). restant igitur adhuc Eponymi, a quibus disputatio nostra profecta est. sed his quoque aliquotiens quinquagesima pars redituum quorundam videtur concessa esse, quamquam nescio quos locos Boeckhius (oecon. I p. 445) significaverit cum dicit: „die zehnten der göttin werden mit den f u n f z i g s t e l n anderer götter und d e r s t a m m h e r o e n (ἐπώνυμοι) erwähnt". hoc quidem certo scio, etiam Eponymorum aeraria sive conplura sive unum Athenis extitisse (Herm. antiq. I § 122 not. 3). nam in oratione in Theocrinum § 14 is qui Eponymorum alicui debet, in debitoribus publicis numeratur: νόμον, ὃς ὁμοίως κελεύει κατά τε τῶν ὀφειλόντων τῷ δημοσίῳ τὰς ἐνδείξεις τὸν βουλόμενον ποιεῖσθαι τῶν πολιτῶν, καὶ ἐάν τις ὀφείλῃ τῇ Ἀθηνᾷ ἢ τῶν ἄλλων θεῶν ἢ τῶν ἐπωνύμων τῳ (cf. Boeckh. I p. 509). et cum apud Andocidem de myst. § 77 debitorum publicorum nomina dentur εἰς τοὺς πράκτορας ἢ τοὺς ταμίας τῆς θεοῦ ἢ τῶν ἄλλων θεῶν ἢ τὸν βασιλέα, fortasse ei quorum nomen ad regem defertur, sunt qui Eponymis debent. quae cum ita sint, ut ad Demosthenis locum redeam, per se fieri potuisse patet, ut orator Androtionem argueret pecuniam quae Eponymorum esset habere. sed id eum fe-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cisse vix veri simile est, quod in oratione quamquam saepissime pecuniam sacram commemorat, tamen nusquam Eponymorum mentionem inicit. utut vero haec res se habet, vix crediderim Demosthenem nostro loco alios deos quos semper cum Minerva coniungit omisisse. immo nisi pro καὶ τῶν ἐπωνύμων verbis substituere volumus καὶ τῶν ἄλλων θεῶν, haec verba post τῆς θεοῦ interponenda esse censeo. etiam ad Macartatum § 58 ἡ θεὸς καὶ οἱ ἄλλοι θεοὶ καὶ οἱ ἐπώνυμοι hoc ordine coniuncti citantur. Reiskium καὶ copulam ante τῆς πόλεως delendam esse putantem satis refutavit GHSchaeferus, qui tamen ipse non intellexit τὰ τῆς θεοῦ καὶ τῶν ἐπωνύμων χρήματα non omnes conplecti pecunias sacras, quas ab Androtione interceptas esse orator identidem queritur. Dobraeum denique, qui καὶ τῆς πόλεως delenda esse cum quadam dubitatione proposuit, eas pecunias quae maximi momenti sunt, ex h. l. eicere voluisse satis patet.

Timocr. 12. breviter enarrat orator res in comitiis gestas: τότε ἀνέμνησεν ὑμᾶς, τοὺς νόμους ἀνέγνω, καθ' οὓς κτλ. Reiskium cum primam huius enunciationis vocem corruptam iudicaret, rectum vidisse arbitror et cum eo scripserim ταῦτ'. quae emendatio cum ab editoribus spreta sit, adcurate nunc examinetur. ac primum temporis notionem quae inest in τότε vocabulo addi h. l. non opus est. nam de quo tempore loquatur orator iam antea dixit, neque illud audientium animis inculcandum erat, et si esset, ἤδη particula addita esset. tum obiectum verbi monendi desideratur, et res quae in memoriam revocatur fieri non potest ut desit. potest deesse persona, cui aliquid in memoriam reducitur, ut de corona 17: ἔστι δ' ἀναγκαῖον ... ὡς κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους εἶχε τὰ πράγματα ἀναμνῆσαι. ceterum verborum τότε et ταῦτα a librariis permutatorum exemplum infra ad § 48 adferam alterum.

Timocr. 13. pergit in tumultu describendo quem Androtion Glaucetes Melanopus in contione moverunt: ἐβόων, ἠγανάκτουν, ἐλοιδοροῦντο, ἀπέλυον τοὺς τριηράρχους, ἔχειν ὡμολόγουν παρ' ἑαυτοῖς, ζητεῖν ἠξίουν τὰ χρήματα. Dobraeus adnotat: „dele ἔχειν ὡμολόγουν et distinctionem post ἑαυτοῖς. vulgata orta videtur ex argumento p. 695, 1.“ quae sententia quamquam a Dindorfio conprobatur, tamen reicienda est. nam ἔχειν ὡμολόγουν verba necessaria sunt ad totam rem describendam. recte autem Dobraeus et Dindorfius monuerunt ante παρ' ἑαυτοῖς distinguendum esse; sed equidem genetivum praetulerim: παρ' ἑαυτῶν ζητεῖν ἠξίουν τὰ χρήματα, i. e. postulabant ut a se ipsis civitas quaereret pecuniam. cf. de hac sententia verbi Voemel ad or. f. leg. § 104. tum habes gradationem quandam, ex qua superbia triumvirorum istorum eluceat.

Timocr. 36. enumerat orator omnes custodias quibus leges a novandi studio defenduntur, quas tamen facile posse circumveniri ostendit. ἐκτιθέναι κελεύει τοῦ προειδέναι πάντας· τάχ' ἄν, εἰ τύχοι, τοὺς μὲν ἀντειπόντας ἄν, εἰ προαίσθοιντο, λάθοι, οἱ δ' οὐδὲν προσέχοντες ἀναγνοῖεν ἄν. ab hoc loco miserrima GHSchaeferi interpretatio propulsanda est, cuius haec sunt verba: „orator hoc dicit: at legislator, inquit, leges rogandas publice proponi iubet, ut omnes cognoscant. at hac ratione nondum satis prospectum est civitati.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

fieri enim potest ut cordati cives, inpedituri illi ne noxiae leges perferantur, publice propositas non legant nisi forte fraudem praesenserint, legant soli ei qui susque deque habent, tales leges perferantur necne.“ qua de re cogitaverit Schaeferus cum εἰ προαίσθοιντο vel potius εἰ μὴ προαίσθοιντο (sic enim coniecit) verteret „nisi forte fraudem praesenserit“, mihi quidem non notum est. de fraude enim nihil agitur, de consilio nocendi nihil dicitur. porro quae haec est ratio: forte fortuna accidit ut cordati cives leges non legant, nisi fraudem praesenserint? num putas futurum fuisse ut etiam forte fortuna accideret ut legerent, si fraudem praesensissent? sic potius construendum est: εἰ προαίσθοιντο (nam μὴ negatio falsissime addita est) ad sententiam conditionalem ἀντειπόντας ἄν pertinet, et sic vertas: „ei non legant qui si antea legissent (προαίσθοιντο) futurum esset ut inpedirent.“

Timocr. 38. ταῦτα πάντα Τιμοκράτης ... ἠφάνισεν, ἐξήλειψεν. prius verbum ἠφάνισεν ab lectore quodam ad ἐξήλειψεν interpretandum adscriptum esse indeque in textum inrepsisse arbitror. cui opinioni favet quod scholiasta codicis Y ad 711, 1 ἠφάνισεν omisit: εἶτα ὑπάγει τὸ κατὰ τὸν Τιμοκράτην τοῖς καθόλου εἰπὼν „ταῦτα πάντα Τιμοκράτης καλῶς καὶ δικαίως κείμενα ἐξήλειψεν“.

Timocr. 48. qua ratione si ordine agere voluisset Timocrati agendum fuisset, orator exponit. καίτοι χρῆν σε .... πρῶτον μὲν πρόξοδον γράψασθαι πρὸς τὴν βουλήν, εἶτα τῷ δήμῳ διαλεχθῆναι, κᾆθ' οὕτως, εἰ πᾶσιν Ἀθηναίοις ἐδόκει, γράφειν καὶ νομοθετεῖν περὶ τούτων, καὶ τότε τοὺς χρόνους ἀναμείναντα τοὺς ἐκ τῶν νόμων. extremo quod additur participio non quarta quaedam res enumeratur quam Timocrates facere debebat, sed res quae ad alias accedere debebat. quare καὶ τότε falsum est. expectamus haec: „idque quidem ita facere debebas ut adcurate tempora legibus praescripta observares“. quare scribas καὶ ταῦτα vel καὶ τοῦτο. a librariis τότε et τοῦτο vocabula confundi cognoscimus e scripturae varietate quam Voemelius ad f. leg. § 154 addidit. ubi cum τότ' legendum sit, τοῦτ' in tribus codicibus invenitur.

Atque haec quidem hactenus. reliquas emendationes quae et in eis quas tractavi et in aliis Demosthenis orationibus necessariae esse mihi videntur, alio loco hominum doctorum iudicio proponam.

Berolini.

Rudolf Dahms.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf